IO. BAPTISTAE VICI

OPVSCVLA

A CAROLO ANTONIO DE ROSA

MARCHION. VILLAROSAE

COLLECTA ET EVULGATA.



NEAPOLI MDCCCXXIII.

APUD FRATR. FERNANDES

Praesidibus Annuentibus.

Quis leget haec? Min tu istud ais? Nemo hercule? nemo?
Vel duo, vel nemo. Turpe et miserabile......

Persius Satyra I.

EXCELLENTISSIMO MARCHIONI
HORATIO ANTONIO CAPPELLI
FERDIN. I. REG. P. F. A.
A CONSILIIS etc. etc. etc.

Si verum est, quod nemo dubitat, litteraria scripta, quae typis mandantur, iis praesertim nuncupari oportere, qui libenter ea excipiunt, magnique faciunt, nemini potius quam Tibi inscribenda erant haec minora Opera Latina Joannis Baptistae Vici, (cuius dumtaxat nomen, quidquid alii dicant, maximae est laudi) quae a me, post Italica eiusdem Auctoris Opuscula publici iuris facta, nunc in lucem eduntur. Nam quum Tu a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis in Latialis linguae studium vehementer incubueris, praeter alias disciplinas, atque artes quibus mentem excoluisti; locumque in litteraria Republica propterea haud ultimum es adeptus; tum vero egregiis editis lucubrationibus, elegantissimi latini scriptoris nomen tibi comparasti. Accedit quod quum ab ineunte aetate ego Te semper mirifice coluerim, atque obser-

vaverim non modo ob insignes tuas virtutes, verum maxime etiam ob singularem benevolentiam, qua me, meosque semper amantissime complexus es; hanc profecto meae in Te observantiae gratique animi testandi occasionem, quando aliae non suppetebant rationes, nunc praetermittere nolui. Atque heic quoniam, qua praeditus es modestia, nequaquam pateris, me tuas eximias percensere animi dotes, ob quas in cunctis amplissimis muneribus, quae, dum per valetudinem licebat, gessisti, adeo FERDINANDO REGI (*quem Deus incolumem servet*) *Te probasti, ut ille Te unum omnium fidissimum, atque optimum administrum semper duxerit; idcirco de tuis laudibus sileo, veraeque potius virtutis parcus laudator haberi, quam tuam modestiam offendere volo. Quare nihil aliud mihi restat, nisi ut a Deo O. M. Nestoreos annos, firmamque valetudinem Tibi adprecer; quo omnes Tui amici, quorum unum me vere glorior esse, iucundissima Tua consuetudine diutius frui queant.* Vale.

Neap. IV. Idus Februarias CIϽIϽCCCXXIII.

PRO AUSPICATISSIMO

IN HISPANIAM REDITU

FRANCISCI BENAVIDII

S. STEPHANI COMITIS,

ATQUE IN REGNO NEAP. PRO REGE.

ORATIO.

Si, Excellentissime Princeps, pro tuis summis, praeclaris, atque immortalibus beneficiis in nostram Civitatem perpetuae utilitatis caussa collatis gratias, ut offici ratio postulat, omnium ordinum nomine agere velimus, veremur, ne tuorum erga nos meritorum copiae nostra inopia dicendi, amplitudini orationis exilitas, immortalitati perquam breves nobis ad id munus persolvendum angustiae temporis circumscriptae non parva, immo maxima ex parte sint detractura. Etenim quae tanta potest usquam existere ubertas ingenii, quae tam incredibilis, ac adeo rara divinitas, ut universa tua, quibus nos ornatos voluisti, promerita si minus verbis, queat mente

saltem, et cogitatione complecti? Quandoquidem ante tua, seu potius nostra felicissima tempora obvenerunt certe nobis clarissimi, atque ornatissimi Viri, qui in hoc Regno gubernando potentissimi nostri Hispaniarum Regis vices ita in aliquo Regiarum virtutum genere praeclari gesserunt, ut apud nos honestissima sui Vicarii Principatus monumenta reliquerint. At si eos omnes Tecum conferamus, si omnia temporis anteacti discrimina cum his comparemus, in quibus Civitas nostra undequaque periculi, timoris, atque sollicitudinis plena dudum versata est, ac ab iisdem a Te singulari studio, atque opera, summa prudentia, atque auctoritate liberata; Tu prae ceteris omnibus nostrae Patriae Columen, Tu nostrorum Civium Servator nobis omnibus videris divinitus obtigisse. Qui, cum in Europa universa omnia gravissimo, truculentissimoque bello perculsa, ac prostrata jacerent, pacem, otium, tranquillitatem in hoc Regno, atque in hac Urbe, Regni arce fovisti, qui crudelissima, funestissimaque peste intra hosmetipsos Regni terminos advecta, ac jam saevire coeptante, aeris salubritatem coelique clementiam urbibus morbo affectis restituisti, urbibus a morbo immunibus conservasti. Qui, cum omnia de meliore nota bonarum artium, ac utilium scientiarum studia tam misere, tamque foede jacerent, ut de nominis gloria, cui apud quamlubet exteram doctissimam nationem com-

parandae innumeri nostrum toto pectore, omni studio incumbebant, jam haec Urbs non sine querelae admixtis lacrimis desperaret; optimo litterarum generi favisti, egregiae civium laudi consuluisti, summae nostrae Civitatis amplitudini providisti. Itaque Majores omnes, qui summum istum honoris gradum summa etiam cum laude obtinuerunt, ea nobis praestiterunt officia, quae Principes, quamvis ad id rara atque insigni virtute opus habeant, tandem aliquando tamen praestare possunt: cujusmodi ea fuere: facinorosae, ac infestissimae exulum turmae agros depopulantes, per publicas vias grassantes, pagos minoresve urbes vastantes extirpatae omnino ac deletae: Annonam porro omnium exculentorum, poculentorumque uberrimam sartam tectamque servare: Judices denique, ac Magistratus integrae probitatis, ac fidei, summae doctrinae, ac diligentiae Curiae, Foroque præponere. Quae quidem optima Priorum Principum munera vel singula quippe singulos ad summum atque amplissimum laudis, honorisque gradum extulerunt. Tu vero praeter haec omnia officia, ea in nos etiam beneficia contulisti, quae Principes, nonnisi Divina quadam virtute praediti, atque adeo supra optimorum Principum conditionem evecti conferre subditis possunt. Quibus pro tantis rebus nullum luculentius honoris insigne, nullum grati animi monumentum perennius Tibi dicare possumus, quam

ipsorummet tuorum beneficiorum memoriam sempiternam. Itaque nostra perpetua recordatione, nostris sermonibus per omne aevum posteris nostris quasi per manus tradendis excolemus haec, quaede Te modo proponimus: Fortissimum, ac Sapientissimum Principem FRANCISCUM BENAVIDIUM ob Cives Neapolitanos tum a periculosissimo bello, tum a funestissima peste servatos, atque ob praeclarissimum bonarum litterarum patrocinium susceptum, Patriae Patrem meritissimum extitisse. Modo a Te maximopere pro tua eximia erga nos munificentia etiam, atque etiam rogamus, precamurque, ut tuorum affectuum moderatio cedat praeclarorum facinorum amplitudini; et lubeat nobis Tecum singula haec divina beneficia tum ad grati nostri, cum ad tui magni animi laetitiam excitandam recensere. Quamobrem a primo, et quidem maximo, quo nostra Civitas a bello servata est, exordiamur. Semper arbitrati sumus, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, illud ad Imperia administranda vehementissime pertinere, quam nimirum famae opinionem subditi ac exteri, amici atque hostes de Principe habeant: eosque in rerum summis regendis, ceteris praestare, qui auctoritate plurimum possunt. Idque nobis tuo exemplo mirum in modum est confirmatum; qui gravissima fultus virtutis opinione ad Regnorum regimen iis semper temporibus delectus, ac missus es, quae principem supra omne cogitandi genus in

laboribus industrium, fortem in periculis, cautum in consulendo, in agendo expertum desiderarent. Testis est Sardinia, quae a maximis civilis belli periculis tua virtute, consilio, atque opera est mirifice liberata. Testis est Sicilia, quae, cum adhuc tetri, foedi, execrabilisque Mamertinensium belli reliquiis vexaretur, tuo adventu, praesentia tua tranquillissimo ocio est restituta. Testis est Neapolitanum Regnum; at quantae auctoritatis tuae testis est! Bellum supra hominum memoriam acerbissimum gloriam nominis Hispani, innumera Sociorum Principum Imperia, sexcentarum Rerumpublicarum salutem, fortunas denique totius Europae in discrimen vocavit: pro quo vel propugnando, vel oppugnando nulla est nostri orbis Terrarum gens, nullus populus, nulla natio, quae in arma non ruat. A Gallis hostibus sunt quamplures Africae Reges, est et potentissimus totius Asiae, reliquae Africae, ac magna ex parte Europae Tyrannus, Turcarum Imperator. Pro nostris Hispanis stat Angliae Rex, stat Batavorum Respublica, stat Allobrogum Dux, stant plures Summi Germanici Imperii Principes. Hinc in Belgio, ac Germania bellum, bellum in Hispania, et Gallia, in Italia denique bellum totis viribus, toto conatu committitur. Itaque nulla in Europa regio est, quam bellum non corrumpat, non perdat, et quasi flamma non urat: undique damna, undique calamitates, undique exitia:

nihilque tam grave, tam durum, tam acerbum quod non haec florentissima Orbis Terrarum pars terra marique perpetiatur. At quis unquam ad nostri Regni oras strepitus armorum advenit? quaenam hostilis tuba ad arma ciere viros audita est? quodnam explicatum signum visum est procinctum armorum innuere? Appulit quidem ad nostras maritimas oras munitissima Gallorum classis, immo etiam in interiori pene mari, et plures dies, et e regione hujus Urbis est immorata: at quomodo appulit? quo modo immorata? non aliter quippe, ac si amicissimorum sociorum tutamen esset ac propugnaculum. Tantane, Deus immortalis, est apud hostes de Te opinio, ut adversum eos vel sola auctoritas tua firmissimi certissimique nostrum praesidii loco sit, et habeatur? Magna sunt haec tuae auctoritatis, lubeat proferre, miracula; at quanto illa providentiae majora! Cum enim Regium Ærarium esset pene exhaustum, publica vectigalia prope essent absorpta, maxima a Te subsidia ad maximum bellum, cujusmodi erat Alpinum, mirifice missa sunt, ut arma, armorumque incommoda omnino procul a nobis, nostrisque finibus distineres. An ideo Civitas nostra in aliquas rerum difficultates conjecta est? an in augustias Regnum redactum? Nil istorum minus. Immo, incolumi sueta rerum ubertate atque abundantia, nobis nova vitae commoda, quae quidem tantum in se continent utilitatis, quantum

fortasse nulla res praeterea, tua singularis atque eximia providentia attulit. Etenim, cum nostratis pecuniae conditio eo falsatorum fraude devenisset, ut jam nulla fere esset perpetua aestimatio, quam eidem Principes maximis permutationum difficultatibus obvenientes, publica auctoritate dederunt; jam una, et quidem potissima ex iis rebus deficiebat, quae Reipublicae tum domi, tum foris firmissimi sunt, certissimique nervi ac lacerti. Tentavit quidem, ut sua stet cuique laus, Excellentissimus Vir Gasparus Haro-Gusmanus novis falsificatu difficilioribus typis tanto Civitatis, privatorumque incommodo occurrere; verum argenti difficultate exitum res non habuit. Sed quod Vir auctoritate clarissimus, dum pax omnia teneret, absolvere haud potuit, Tu, maximo bello premente, ut illud a nobis arceres, ad finem, oppido perduxisti. Et haec tamen, quae de aliis summis Viris tanquam maxime rara, et egregia auctoritatis, ac providentiae facinora dicerentur, vulgaria sunt, ac minora tuae virtutis exempla. Illud enim, illud tuae incredibilis, ac omnino heroicae fortitudinis specimen, cui nulla par oratio inveniri usquam potest, non sine maxima admiratione atque summo animi stupore in medium proferamus. Clarissimus atque Amplissimus Magister Militum Didacus Benavidius, cujus ut laudes brevi, atque eleganti verborum ambitu colligamus, Filius Te Patre dignus; ea aetate, quae vulgo

est judicii, prudentiae, gravitatisque vel omnino expers, vel plurimum inops, jamjam omnibus Imperatoriis virtutibus animum mentemque ornans; maximumque Hispanorum nomini, ac Regiae BENAVIDIORUM Genti decus ornamentumque promittens, a Te, credite Posteri, a Te, inquimus, pro Hispanici Imperii, atque ita etiam pro publica nostrum omnium salute Gallorum hostium furori in Alpina illa nobis semper detestanda caede devotus est. Et devovisse parum adhuc Tibi visum est, ut satis Regi, satisque Regnis faceres, nisi etiam incredibili animi fortitudine devovisses. Tenemus namque, nec erit unquam, ut ejus oblivisci possimus; tenemus illam aeternitati monumentorum dicandam orationem, qua potius, quam Te ipsum, alios de immatura, ac satis superque acerba lectissimi Filii tui morte moerentes solari solitus es: Te tunc demum Clarissimum Filium vitae, atque aeternitati dedisse, cum pro suo Rege, ejusque Regnis tuendis clarissimam mortem obiret. O Virum inter Heroas accensendum! O Patrem aeterna laudatorum virorum laude dignissimum! O principem supra omnes Patriae Patres de Republica meritum; qui tot, tantis, ac tam praeclaris virtutibus pacem a ceteris Europae Urbibus, Regnisque aut fugatam, aut ejectam intra hujus Urbis moenia, intra hujus Regni terminos asservasti. Ecquod majus, atque optabilius beneficium ipse Deus Optimus Maximus ho-

minibus, dum terras colunt, conferre potest, quam pacem; qua non modo ea, quae aliquo sensu sunt praedita, sed etiam tecta, atque agri laetari videntur? Quid dulcius, atque gratius, quam otium, quod ita jucundum est, ut fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in eo vitam degere possit? Quid denique e Republica magis aptum et commodum, quam tranquillitas, ad quam tutandam omnes Optimatum operae, omnia populorum studia sunt ordinata? Verum ad aliud majus, diviniusque beneficium, nimirum illud, quo nos a pestilentia liberatos voluisti, deveniamus. At quod tam grave, ac ornatum orationis genus invenitur, quod, ut par est, tantum tuae virtutis munus verbis complecti possit? Quandoquidem adhuc recens apud nos est funestissima memoria crudelissimae illius cladis, quae quadragiuta abhinc annis hoc Regnum, atque hanc Urbem hominum florentissimam hominibus pene hausit. Vel ipsi enim hisce oculis non sine amarissimis lacrimis vidimus, vel a majoribus natu non sine maximo animi dolore accepimus, pestiferam illam tabem tam misere hoc Regnum, hanc Urbem affecisse, ut ubique locorum languentes aegri jacerent, quos, omni communis remedii ac peculiaris auxilii copia desperata, anxii malorum comites angor, moeror, ac gemitus affligebant. Vidisses hic exanimos pueros supra exanimata parentum

cadavera jacere; ibi super natorum corporibus parentes agere animas; alios, qui morbi mortisque metu vel etiam suos visere fugiebant, in ipsa fuga morbum mortemque offendere; alios, qui magis pii aegris praesto erant, in adhibenda ipsa medelae, aut auxilii opera occumbere. Ita crudelissima pestilentia omnia loca, ac tecta complens, nullo corpora humandi ritu, nulla coeremonia servata, innumera funeribus funera cumulabat. Quamobrem, cum haec tanta Urbium clades, hoc populorum exitium tam acerbum, haec humano generi adeo infensa pernicies aliquas Apuliae Provinciae Urbes sex abhinc annis afficeret, omnium nostrum animi jacebant, consistebat mens nulla, omnes summo timore, atque acerba sollicitudine vexabamur, ne miserrima, atque amarissima prioris pestilentiae exempla renovata videremus. Neque in Te ipso, sit pace tua dictum, aliquam praesidii aut salutis spem collocabamus. In ea namque eramus opinione, humanam Prudentiam humana dumtaxat negotia regere posse ita, ut, quae extra humanarum rerum cursum nobis e sententia acciderent, ea felicitatis potius eventa, quam virtutis facinora arbitraremur. At, Te auctore, experti sumus, posse tandem aliquando Prudentiam eo divinitatis accedere, ut elementis etiam, ac naturae imperaret. Etenim ea argumenta summis vigiliis, et curis, incredibili di-

ligentia, atque opera adhibuisti, ut effrenatum ac praecipitem luis furorem non intra illam Provinciam dumtaxat, sed intra illius Provinciae certas Urbes contineres, ac brevi tempore omnino etiam extingueres. Itaque, ut primo amplissimo beneficio in nos collato tecta, bona, ac fortunas; ita et hoc aeque maximo conjuges, parentes, ac liberos retinemus, ut illo Urbem, ita et hoc vitam. Cognoscamus nunc vero, quomodo alio prioribus non minore nominis famam retineamus. Neque parva, neque parvi pendenda, absit tamen rebus dicendis jactatio, sunt ornamenta, et habentur, quae nostram inter ceteras Orbis terrarum Urbes praeclaram ac nobilem faciunt. Primum namque a natura ea caeli clementia donata est, ut prae omnibus reliquis haec ora, haec regio felicis Campaniæ nomen omnium ferme consensu obtinuerit: ea soli ubertate locuples facta, ut a fertilitate agrorum, et a varietate fructuum Poetarum fabulis locum faciens, Bacchi, et Pomonae certamen sit appellata: ea denique situs amoenitate praedita, ut nostrae villae a curae, moerorisque cessatione graeca nomina fecerint. Verum has omnes omissas facimus laudes, una cum iis quas eventu felicissime adepta est; quarum quippe illa non ultima, adeo antiquos Fundatores habuisse, ut Historicis ad fabulas confugere opus fuerit, eamque a Sirene fundatam fuisse narrare. Mittimus

descriptionem aedificiorum, et pulcritudinem; mittimus incredibilem incolarum, accolarumque numerum. Quid illa vero necessaria, ac aeterna in virtute posita et locata ornamenta, quibus Civitatem aliquam spoliare, immo minima ex parte minuere scelus est, a quo nulla sunt scelera, quae absint? etenim iis nudata Respublica, non modo nullius nominis, nullius famae omnino ingloria vivit; sed et vivit omni dedecore, omni turpitudine, omni infamia notata. Quid, inquimus, erga Deum Religio, erga Principem Fides, erga Virtutes sive mentis eae sint, sive animi, studium et amor? Anne aliqua Civitas ita de Religione merita est, ut eidem nostra cedere debeat? An usquam terrarum, ut hic, tam rara, tamque mira erga Religionem liberalitatis, ac munificentiae exempla visuntur? Ubi enim tot extant ob venustatem, atque elegantiam admiratione dignissima Templa? Ubi par copia caelati argenti, atque auri sacrorum usui destinata? Ubi Deo, Divisque tot gemmarum, ac vestium oblata pretiosissima munera? Quae omnia sunt nostri summe religiosi animi luculentissima, firmissimaque argumenta. Nihil insuper est, ut in re maxime perspicua et aperta immoremur, atque recenseamus innumeras familias gentis nobilitate sive pace, sive bello parta clarissimas, quae nostrorum Civium erga nostros Principes integram, ac praeclaram fidem luculenter con-

firmant. At bonarum litterarum Studia quanta in hac Urbe omni memoria fl ruerunt? Quandoquidem vetustissimum id est nostrae Civitatis decus, non mediocri aut vulgari, sed optimo atque eximio quoque artium scientiarumque genere omni tempore praestare ac excellere. Etenim ipsis Athenis florentibus prudentissimi, ac sapientissimi Cives Romani nostram Urbem Athenas Italicas arbitrati, hue nobiles Adolescentes optimis literis instituendos mittere consuescebant. Ejusmodi studia semper nobis usui, semper delectationi fuere: ab iis nostrae Civitatis laus excelso illustrique loco semper posita est: per ea amplissimum honoris locum apud reliquas semper est consecuta: iis denique debet, quam sibi antiquam, atque aeternam famae gloriam comparavit. Verum quae ex hisce studiis comparata gloria nostram Civitatem in praesentia ornaret? qui honor nostros Cives tueretur? quae laus nostra nomina efferret? quae delectatio animos nostros afficeret? qui denique usus nobis omnibus esset, nisi scientissimus, atque acerrimi Vir Princeps judicii nos inter quasi e caelo divinitus descendisset, et praesentissimum hujusmodi studiorum patrocinium suscepisset? Quid nos igitur non hoc potissimum inter tua maxima beneficia accepta referimus; cum haec vera, atque immortalia nostrae Civitatis ornamenta optimorum studiorum ope acquisita, nostra Civita-

ti, Te Patrono, sint conservata? Tu enim bonas literas ad Te, utpote ad suum praesidium confugientes amplexibus excepisti; Tu summa auctoritate in tuo sinu fovisti; Tu doctissimo judicio in Republica confirmasti. Etenim in hujusmodi studiis honestandis adeo exploratum est, Te nullum beneficii genus praetermisisse, ut praeclarissimos eodem studiorum genere viros maximis honoribus gerendis proponeres. Et dubitatur adhuc, eos, qui rebuspublicis praesunt, optimo quoque Scientiarum genere apprime imbutos ac eruditos esse oportere; cum nonnisi doctissimus ac eruditissimus Princeps bonas litteras summa cum earum laude intra hanc Urbem tueri poterat, et nostrorum Civium famam, nomen, et gloriam apud exteros populos conservare? Itaque, si Fundatores hujus Civitatis carissimos habere debemus, quod moenia nostrae Urbis sub clementissimo Caelo, in uberrimo solo, amoenissimo situ fundarunt: si majores nostros summo honore prosequimur, quod pulcherrimis aedificiis, amplissimis aedibus, magnificentissimis templis nostram Urbem ornatam fecerunt: si erga parentes magna afficimur reverentia, quod ab iis nobis vita, patrimonium, Civitas tradita est: si nostros praeceptores veneramur, quod eorum doctrina animos optimis moribus institutos, mentes interioribus litteris eruditas habemus: qui amor, qui honor, quae reve-

rentia, qui cultus Tibi, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, praestandi, qui, cum a maximo bello hanc Civitatem liberares, tecta urbis, bona, fortunas, salutem omnium a ferro, et flamma tutatus es: cum a nobis teterrimam pestilentiam arceres, conjuges, parentes, liberos, vitam omnibus conservasti: cum denique optima litterarum studia secundares, cunctis nostrum nomen, famam, gloriam reddidisti? Quare, cum fundatoribus multa, majoribus magna, innumerabilia parentibus, maxima præceptoribus nostris debeamus, omnia modo Tibi profitemur, quod quae antea singula ab illis obtinuimus beneficia, universa, tua scientia, virtute, auctoritate retinuimus. O quam olim nobis infensa, tam nunc jucunda nostrae Urbis pericula, a quibus tanto Numine liberati, incredibili quadam, ac pene divina lætitia, voluptateque fruimur! Etenim optimarum litterarum studia nobis semper clarissima visa sunt; haec tamen confirmata illustriora videntur, quam si pene obscurata non essent. Dulce est parentes habere, uxores ducere, filios suscipere; at non tanta voluptate isti nobis acquiruntur, quam, quum acquisiti ac prope deperditi restituuntur: magnam res familiaris sua cuique delectationem affert; incredibilem publica bona laetitiam continent; maximam ipsa Patria caritatem, voluptatemque praesefert: at haec quanta sint, nunc tandem nos, nostrique omnes experti sumus; cum ea sit humanorum bono-

rum conditio, ut magis aliqua offensione interrupta, quam aequabili perpetuaque fortuna percepta delectent. Nec certe minorem delectationis, laetitiae, ac voluptatis fructum tanta nostrae Urbis discrimina tuae praestanti virtuti attulerunt. Quo namque modo, nisi illa fuissent, tam clara auctoritas, providentia tam mira, tam incredibilis animi fortitudo, prudentia tam eximia, doctrina tam singularis maximum quaeque sui specimen dare potuisset? quomodo omnis tua virtus virtutis voluptatem cepisset, quae in ipsa virtute exercenda est collocata? Verum tantis virtutibus tanta beneficia in nos omnes collata quibus officiis remunerabimur? quando parem gratiam referemus? non est, ingenue fateamur, non est, ut haec consequi, immo sperare possimus: quando ea nos meritorum copia devinxisti, ut non modo nullae ad referendas, immo ne ad agendas quidem pro iis omnibus Tibi gratias vires nobis aliquae suppetant. Itaque nullus nostro erga Te grato animo reliquus fit locus, nisi, quod nostra, nostrorumque omnium posterorum memoria celeberrima tuorum beneficiorum fama aletur, crescet, atque per omne aevum inveterascet. Nec erit usquam, quod nostros, nostrorumque animos frangere aut debilitare unquam possit; cum hanc ipsam urbem tuorum beneficiorum testem apertissimam esse videamus; quae si loqui posset non in aliam, quam

in hanc de tua divina munificentia orationem prorumperet : Tua virtute haec moenia , haec tecta mihi consistunt. tua munera sunt aedium pulchritudo , regionum forma, Templorum magnificentia : tua dona incolarum copia , civium humanitas, ac doctrina , Regni dignitas et majestas. Quare dum haec omnia mihi maxima ornamenta constabunt , constabunt simul tuae maximae erga me munificentiae certissima monumenta. Cum igitur hanc Urbem , hoc Regnum ita egregie , honorifice rexeris , ut tuus Vicarius Principatus nil aliud fuerit , nisi constans ac perpetua nostrae salutis, fortunae , ac famae defensio ; modo Tecum precibus quam diligentissime agimus , ut omnia beneficia, quae apud nos collocasti , apud nostrum Potentissimum Regem conservata esse velis : et (quod minime fieri posse arbitrabamur) ad tua maxima in nos omnes merita maximus omnium hoc tuo facto cumulus accedat.

AN. MDCXCVI.

IN FUNERE

CATHARINAE ARAGONIAE

SEGORBIENSIUM DUCIS ec.

ORATIO.

Luctuosa quidem, atque omni tristitia gravis dicendi occasio; acerbus sane, atque omni moerore plenus officii locus is est, quem hodie nobis in amplissimae ac praeclarissimae CATHARINAE ARAGONIAE funere, extrema fata parum admodum nobis aequa obtulerunt: quarum rerum altera, quae in actae vitae laudatione posita est, prae laudum amplitudine, quae longe lateque se pandunt, ac caelum ferme gloriatione contingunt, maximis difficultatibus impeditur: altera, quae est in mortis collacrymatione locata, prae acerbitate vulneris, quod in animis unjuscujusque nostrum infligit, cuncta consolationum genera respuit: atque cum haec, tum alia ita inter sese ultro citroque adversantur ac pugnant, ut altera res alteram non modo non excipere, sed omnino etiam excludere, ac prohibere videatur. Etenim qui fieri potest, ut illius Principis laudationi commode sit usquam locus, cujus obitus immunera

et quidem florentissima oppida, quamplures urbes pacis, ac militiae studiis nobiles ac praeclaras, non paucas provincias majorum gloria, legibus, atque institutis insignes, quae omnes ejusdem ditione tenebantur, ita moleste et graviter angit, ut nemo unquam ex ulla calamitate tristitiae plus hauserit ac doloris? Quaenam oratio illius Magnatis acta gestaque undequaque virtute summa, ac eximia dignitate plenissima apte exornare ac decenter potest, cujus mors amplissimum Hispanorum Procerum ordinem tanti moeroris acerbitatisque complevit, ut ii omne decus, ac ornamentum Ordinis sui penitus amisisse videantur? Quodnam denique ingenium in illius Matronae laudibus ita, ut aequum est, detineatur, cujus interitu celeberrima, ac imperio Reipublicaeque opibus potentissima Hispania, immo ipsa Hispanici Imperii Majestas, molestiae plurimum ac doloris suscepisse intelligitur, quod tantam antiquae virtutis Matrem amiserit, quae Filium omnium maxime de Republica meritum Reipublicae dederit? Quin etiam aegritudinis, qua afficitur Hispania, arx et caput Imperii, socia fidissima sunt quotquot reliqua Regna Regi Hispanorum maximo subjiciuntur; quae omnia vim doloris minime sustinent, quod Illa e vivis excesserit officiorum, beneficiorumque Mater omnium optima, quae magnas ingentesque opes et copias in eo quam maxime voluit esse positas et

locatas, ut vel tenuiorum egestatem levaret, vel honestiorum confirmaret virtutem; summam vero existimationem, summamque auctoritatem in eo, ut apud potentissimum Regem, ac amplissimum Regis Senatum, bonorum omnium fidissimam clientelam ac firmissimum patrocinium usquequaque susciperet. At nullum ex his omnibus Regnum est, quod aeque, ac nostrum, afficiat dolor et frangat: quandoquidem, praeter has omnes justissimas de CATHARINAE ARAGONIAE morte dolendi caussas, nobis insuper est clarissimus atque amplissimus LUDOVICUS A CERDA Caeli-Metinensium Dux, et Vicarius hujus Regni Princeps, maximum doloris incitamentum. Quis enim aequo animo ferat, optimum Principem, cujus omnia studia in publica nostrum omnium felicitate tuenda, augendaque sita sunt, in hanc summam doloris acerbitatem conjectum esse prae tantae Matris funere, quod est subjectis populis luctuosum, Primorum ordini triste, Hispanico Imperio molestum, Regnis, quibus continetur, acerbum, ac denique bonis omnibus grave? atque ipsum in casu tam adverso eo etiam solamine, quamvis miserrimo, nostrum caussa destitutum manere, quod, ut hoc Regnum imperio tamdiu a nobis exoptato regeret, ipsi non licuerit Parenti optimae animam agenti praesto esse: ut et illa inter dulcissimi nati amplexus mortem obiret, et hic praesens Matri amabilis-

simae officia suprema persolveret. Tanto nos itaque premente, ac undique obruente dolore, quid est ipsius vitam cum heroica ferme virtute actam laudibus exornare, quam memorare caussas tristissimi nostri, atque amarissimi luctus, atque adeo crudum vulnus, quod medentim manus reformidat ac refugit, a penitioribus fibris tractare? quaenam proinde nostrae partes erunt? equidem quod ad me attinet, quo me vertam nescio; an tanta jactura nobis erit assiduis dumtaxat, nec unquam defecturis lacrymis persequenda? ita sane opinarer, nisi postularet officium supra lacrymas et complorationes, supra ejulationes et planctus, aliam, qua apte, et decenter de tanto casu queramur, inveniendam esse rationem. Scio equidem maximorum. etiam imperiorum jacturam hisce modis defleri solitam esse; verum id non sat est, ut illa, quae supra omne imperium animo praestabat, digne collacrymetur. Sit itaque, sit nobis propositum lugendi exemplum ipse amplissimus, ac praeclarissimus filius: et quemadmodum is, ut regio spiritu lugeret hoc funus, ita splendide ac magnifice instrui jussit, ut omnem admirationem habere videatur; ita nos, ut viriliter lugeamus, juvat acerbam adhuc refricare plagam; et qua datur ingenio perquam tenui ac imbecilli, dolore etiam exanimato, et afflicto, facultate dicendi; juvat, inquam, nostri acerbissimi doloris proprios, ac ingenuos fontes acce-

dere, ac in ipsius veluti adyta penetrare; ita ut eo tota Oratio nostra contineatur, quae vobis exponat CATHARINAM ARAGONIAM laetitiae omnium natam, ei vitae cum dolore omnium raptam esse, quam ut esset optata, suis commodis mirifice ornavit Fortuna; ut optatior esset, Natura fuis ornamentis insigniter auxit; ut optatissima, fuis bonis Virtus egregie cumulavit: quae tria dum expono, peto a vobis, Auditores optimi, ut quanto hanc ornatissimam Principem merito jure lugetis, tanta me de ipsa verba facientem aeqnitate attendatis. Si illa quidem semper bonis omnibus de cujusque obitu honestissima moerendi ratio visa est, iccirco alicujus mortem lugere, quod eundem orbatum vitae commodis arbitramur, ardentissimas certe dolorum faces animis uniuscujusque vestrum admotas esse necesse est, quod spectatissima CATHARINA ARACONIA ea excesserit vita, quae etsi in una virtute, quod est summum, omnis posita esset, erat insuper cunctis omnibus Fortunae, ac Naturae bonis, quibus cunctarum virtutum exercitatio omnisque usus continetur, usquequaque referta. Neque vobis audiri existimo illos vitae officiis instituendae praeceptores, qui sola virtute contenti cuncta reliqua, non modo superbi despiciunt, sed etiam omnino invidi damnant: quandoquidem, ut peculiari Legi quae nobiscum nata est, et Ratio appellatur, ii homines adversantur, qui extra

virtutem, ad quam vel unice, vel praecipue nati sunt, rationem optatae vitae requirunt, ita universae Legi ac aeteruae, quae summa prudentia sapientiaque hanc rerum universitatem conditam esse jussit, aperte resistere videntur, qui bona omnia alius, quam animi imperio subiecta, ad optatam vitam minime pertinere contendunt. Et sane qui prudentiae usus sine rebus haberi potest? quae liberalitatis, ac magnificentiae exercitatio sine opibus, copiisque? qui fructus fidei, et comitatis absque amicitiis? quae sine jurisdictione justitiae utilitas? quae sine imperio clementiae voluptas? quae humanitatis laus, nisi sit cum summo dignitatis honorisque gradu connexa? quae denique praeclara pudicitiae commendatio, nisi sit cum formae venustate conjuncta? Quare antiquam hac in re bene sciteque praecipientem Philosophiam audiamus; quae et ipsa omnis optatam vitam in una virtute positam sentit, sed optatissimam illam existimat, cui praeterea externa ad virtutis usum idonea bona adjungantur. Et quidem profecto ne inclitae, et caelestes virtutes in alto atque excelso nostrae Heroinae animo inerti otio fruerentur; sed, ut fervidae erant et igneae, ita etiam operosae summam ac incredibilem exercendorum officiorum caperent voluptatem; divino quodam consilio factum est, ut Fortuna, ac Natura, cunctarum rerum externarum dominae, omnia illi atque maxima bona, cun-

ctarumque virtutum usui destinata suppeterent. Atque inter innumera et maxima commoda, quibus Fortuna hujus Principis vitam ornavit, ut primum, ita summum habendum censeo illud, quod ut ingenio ad praeclarissimas virtutes facto nasceretur, Ea nata sit in Hispania, regione Orbis terrarum immortali maximarum virtutum gloria commendata; ac, ut iisdem facile imbueretur, eos inter adolesceret, qui ad summam Religionem in Deum, ac in amicos fidem, ad prudentiam, et aequitatem eximiam, ad miram animi magnitudinem, ac liberalitatem, moribus, ac exemplis (quae semper ad efformandos animos habuerunt plurimum qonderis ac momenti) tacite Eam essent hortaturi. Neque loci praestantia, ubi Ea nata est, hoc dumtaxat attulit commodum, sed aliud aequae magnum praeterea; ut nimirum Ei, quae officiosissima, ac beneficentissima futura erat, locus officia peragendi, atque beneficia collocandi esset etiam amplissimus. Neque tanto ingenio ac facultati bene de aliis merendi ullus erat aptior locus, quam Hispania, ubi illius officiis, beneficiisque Majestas Imperi Orbis terrarum maximi tribueret amplitudinem, ac innumera hominum eo vel ad petendos honores, vel ad jus suum experiundum ab utroque terrarum Orbe conflentium multitudo, perennitatem. Verum multo praeclariora ad comparandas virtutes adjumenta, ac multo digniora earumdem exercendarum com-

moda Eidem summa generis dignitas attulit. Semper enim majorum virtute clarorum imaginibus ad virtutem in posteris excitandam, maximam vim tacite inesse putavi: ad ardua quaeque, ac praeclara multo vehementius commovere domestica, quam externa recte factorum exempla. Quam proinde egregie, si ita se res habet, in generoso CATHARINAE animo cuncta regiarum virtutum semina praeclarissimos ejus Majores excitasse putandum est, qui ex amplissima ARAGONIORUM gente Reges virtute praestantissi prodiere: et quam insigniter ejusmodi seminum fructus adolescere curavisse, qui ejusdem praeclarissimi extiterunt Parentes, maximi vir Princeps consilii, LUDOVIGUS ARAGONIUS, et spectatissimae virtutis Matrona MARIANA SANDOVALIA, qui tum dictis tum factis illam omni regiarum virtutum genere mirifice instituerunt? His auctoribus, prudentia summa, justitia eximia, inaudita animi moderatio, incredibilis fortitudo in illius animo ita inter sese sociatae sunt atque complexae, ut Eandem quovis maximo dominatu dignissimam fecerint. At haec eadem Regii generis dignitas quot insuper, quantisque commodis has ipsas regias virtutes instruxit! Contulit enim praeterea magnas ingentesque opes et copias, amplas tum agris uberrimas, tum hominibus florentissimas ditiones summos dignitatis atque honoris gradus, Regias sanguinis necessitudines, ac, ut reliqua missa

faciamus, cum summis totius ferme Europae Principibus lectissimas amicitias. Annon maximae, ac satis superque affluentes eae habendae sunt facultates, quae innumeris beneficiis, hospitibus, atque operibus splendide ac magnifice collecandis, excipiendis, ac faciundis brevi annorum curriculo (eheu tantum fatis certum fuit illam terris ostendere) sexies decies centena millia aureorum nummum suppeditarunt? Annon Segorbiensium, Emporiensium, et Castellanorum, ut de reliquis taceam, amplissimae sunt ditiones habendae, quibus solis freta spectatissima JOANNA FOLCHIA fortissimi, ac Sapientissimi ALPHONSI Aragonum, ac Siciliensium Regis uxor, ad regiam fortunam instructa et parata fuit? Annon summus honoris gradus censendus est, inter principes amplissimi Hispaniae Magnatum Ordinis conscriptam nasci? Honos quippe omnium eorum, qui distribui possunt a Regum maximo, maximus: utpote quo nonnisi donentur ii principes viri, qui et regio, aut certe summo loco nati sunt, et maxime egregia pace belloque parta gloria praestantissimi claruerunt. Regias vero necessitudines quid ego commemorem, quarum, ut luculentissimum, ita omni dignitate plenissimum testimonium dicunt amplissima Regna, quae ab ARAGONIA in Augustissimam AUSTRIACAM gentem sanguiuis jure transmissa sunt? De reliquis, temporis angustiae, et majora re-

rum aliarum argumenta me verba facere minime patiuntur. Sed honos tamen postulat, res ipsa flagitat, consensus vester cupit, me illam commemorare, quam cum praeclarissima, atque omnibus fortunae, virtutis, ac gloriae rebus ornatissima CERDIORUM Familia ipsamet CATHARINA ARAGONIA gravissimo, ac spectatissimo Viro omnium virtutum Principi JOANNI FRANCISCO A CERDA nuptui collocata conciliavit, quae tanta opum affluentia, tanta rerum gestarum gloria, tanta maximorum Imperiorum majestate praefulget, ut quodvis ei novum adquiratur imperium, nullum proinde nouvm decus aut ornamentum accedat. Non est tandem, ut lectissimas amicitias cum summis totius fere Europae Principibus testatas faciamus: quandoquidem ejus rei ipsimet omnes, cum pro illius morte tantum sollicitudinis ac doloris sustineant, quantum ferri vix possit, ipsimet, inquam, sunt ejus rei apertissimi testes. Sed quid ego singula Fortunae bona atque commoda, quibus Ipsa undequaque affluebat, consector et colligo; quasi vero ea oratione complecti, aut memoria consequi possim? Tanta in ipsa augenda posuit studia obsequens illius felicitati Fortuna: a qua tamen Natura se vinci non passa est, quae non minoribus aeque eximiis bonis, quae corporis sunt, et dicuntur, eandem voluit ad virtutes ornatam accedere. Nec frustra homines opinione Sapientium

ducti, Naturam mentibus caelesti specie praestantibus digna corporum domicilia metari credunt, ut oris forma, decusque membrorum in promptu posita, occultam ac latentem animi pulchritudinem repraesentarent. Sed quam praeclare hunc Natura finem in CATHARINA ARAGONIA, nec ad aliorum exemplum est assecuta! Vos quaeso obtestorque, quibus Eam adspectandi, ac alloquendi sors contigit, dicite etiam, ut in illa proceritas corporis, honos capitis, forma oris eximia non solum venustatem, sed dignitatem praeterea etiam praeseferrent: dicite, ut aperta virtutum signa vidistis, in fronte gravitatis, lenitatis in oculis, in rubore verecundiae, in toto vultu modestiae, atque in integro corporis habitu sibi undique apto, certae animi cum se ipso convenientiae; ut plane in ambigno esset positum, utrum illam magis vestris mentibus virtus, an obtutibus pulchritudo insinuaret: dicite, quum illa inter octo amplissimas Filias eximia aeque virtute, ac forma praestantes versabatur, ut Eam oris majestas Principem prodidit, forma vero Matrem celavit: dicite tandem quantas Illius pulchritudini charites addiderunt actionis venustas, gravitas incessus, lenitas ac lepos sermonis, et quantum in iisdem positum esset usquequaque decorum; ut apertissima proinde significatio fieret, magnam in illius animo adesse constantiam. Haec dicite, et quam gratas ex tam pulchro cor-

pore venisse virtutes, et pudicitiam praecipue, nos sinite, ut aequum est, cogitare: atque una simul Eam collacrymare, in qua suis quaeque bonis ornanda Fortuna, et Natura adeo certarunt egregie, ut illa ei dederit Principem nasci, haec faciem Principe dignam; illa generis dignitatem, haec oris; illa opes et copias, haec dives ingenium; illa cuncta virtutum adjumenta, haec animum ad omnes virtutes natum. Sed jam tandem ad praestantissimas Ipsius laudes, quae tantum in excelsiori ac illustriori loco, quam hactenus enaratae, sitae sunt, quantum animi virtutes Fortunae, ac Naturae bona honore ac dignitate praecellunt, accedamus. At hic nolite expectare, me singula Ejus officia a virtutibus derivata in unum veluti sinum colligere: etenim in iis haereret oratio; ita multa sunt, et magna, ut me potius dies, vox, latera, quam rerum argumenta deficerent. Veruntamen, ut omnia Ejusdem praeclarissima facinora brevi comprehendam, faciam, quod solent, qui totius Caeli, Solis, Lunaeque, erronum, ac inerrantium siderum aspectus in parvis globis effictos concludunt: in brevi verborum gyro cunctas ipsarum virtutum imagines, quam simplicissime describi possunt, amplectar. Sed quam ego sponsionem imprudens feci! Quasi vero CATHARINAE ARAGONIAE virtutes ejusmodi sint, ut illarum effigies pictura verborum, ac lumine sententiarum exprimi ullo mo-

do possint: cum potius tanta praestent excelsitate, ut quemadmodum humanam Naturam superant, ita omnem humanum captum excedant. Nam, ut ab illa, quae litterarum dux est, exordiamur; si humana Prudentia summa esse dicitur, et habetur, quae aciem mentis acuit, ut res futuras provideat, bonas inter ac malas delectum habeat, de his, quo pacto fugiendae sint, illis, quo adsequendae, sedulo consulat: atque, dum hujusmodi adhibet mens consilia, animum ita regit praeterea, ut omnem expellat metum, omnemve contineat cupiditatem, ne caeco hujus vel illius ductu in errores labatur electio: si haec, inquam, humana Prudentia summa dicitur, et habetur; quonam Ejus, quam lugemus Prudentiam donabimus nomine? quodnam de ea proponemus exemplum? quae futuras res veluti praesentes, ac tamquam ocnlis cerneret, ita animo et cogitatione percipiebat, easque adeo exploratas, adeo compertas, adeo perspicuas, ut Illius conjecturae prope oracula viderentur: quae sine ullo delectu in optimum quodque vi quadam ab optima mente illata ferebatur: quae consilia ita in promptu posita habebat, ut facta cum ab iisdem tempore secerni non possent, Ipsius felicitati tribuerentur, quae re quidem vera Ipsiusmet virtuti accepta ferenda erant: quae denique deliberans non opus habuit ullum expellere metum, ullam continere cupiditatem, utpote in cujus animo non

metus erat, sed diligens cautio ejus, quod vel nequioribus turpe videri posset; non cupiditas, sed summum desiderium ejus, quod vel nequissimis probari deberet honestum. Magna de prudentia audivistis: sed de Justitia audietis majora. Haec namque illa praestantissima virtus est, fons et origo omnis commendationis et famae, sine qua nihil esse potest illustre, nihil praeclarum, nihil denique laude dignum: haec est quae docet aequitate non violare homines, verecundia non offendere: haec aequabilitate, et fide suam cuique tribuens dignitatem, societatem humanam munifice, ac aeque tuetur: haec cum in sella curuli sedet, Justitia; cum sacris et caeremoniis vacat, Religio; cum Reipublicae navat operam, pietas; cum parentibus obsequitur, Reverentia; cum amicos colit, Observantia; cum reliquos homines etiam incognitos diligit, pleno suavitatis nomine Humanitas appellatur. At quam eximias, et incredibiles ex unaquaque harum virtutum laudes CATHARINA ARAGONIA adepta est, et quam supra humani ingenii captum praestantes! Verumtamen, ne longior producatur oratio, earum unam, aut alteram prosequar; ac proinde reliquas, quantae eae sint, vestris ingeniis conjecturaeque committam. Et quidem illas, quae Principe cum primis dignae judicantur, Religionem in Deum Optimum Maximum, et Pietatem in Rempublicam seligere lubeat. Sed vereor, ne sen-

tentiae, ac nomina, quae sunt ad has virtutes perspicue exprimendas excogitata, minus expresse res in praesentia describant. Etenim honesta de Dei Optimi Maximi numine et mente opinio, pia caeremoniarum et sacrorum cura testata, illa virtus describi solet, quae in Deum Religio vocitatur. At virtus quaedam Religione major dicenda est, qua CATHARINA Deum ex intimo sensu, et ita singulariter diligebat, ut cuncta aetate nullum transegerit diem, quo Deum caste non adierit, sancte non adorarit; nullam vero susceperit rem, in qua Deum ducem non sit secuta: adeo certam animo de summa Dei bonitate fidem concepit, ut nullum ineoeptum recte suscipi putaret, nisi Deo prius rea voti fieret; nullum recte absolutum, nisi voto ante concepto absolveretur: tanta in Deo colendo studia posuit, ut aris, simulacris, donariis Divum templa splendide, ac magnifice augenda curaverit: quamobrem haud minus Dei cultum ornatiorem sua largitate fecit, quam fecerit suae venerationis exemplo sanctiorem. Quid vero illud, quod nobis reliquit praeclarissimum antiquae pietatis in eo positum monumentum, quod amabilissimum Filium, Filiasque jucundissimas Deiparae Immaculato Conceptui a prima cujusque aetate devovit: atque illas regalis ornatus vice, ac nitentis purpurae loco, quae tenella Principum membra decebant, sub aspero vestitu, virginum more ei numini sacratarum, integram infantiam

degere voluit? est ne aliud pietatis aeque laude dignius, aeque dignitate praestantius argumentum? Haud sane videtur: et tamen adest: adest Illius mirifica in egenos, Dei Optimi Maximi studio, largitas: adest in levanda tenuiorum inopia, diligentissima cura, adest incredibilis afflictis pauperum rebus opem ferendi sollicitudo: Inde est, cur gaudeat se omnibus copiis abundare: inde habet, quod laetetur cunctarum rerum ubertate florere; ut ad quamplurimos fieri posset, qui rerum angustiis premerentur, maximi suae liberalitatis fructus promanarent. Hic omnia illius studia sita sunt: pauperes quaerit, egenos vestigat, tenuissimos consectatur: non rogata fert opem, sed rogat ferre: non explicatis afflictarum rerum caussis, sed quaesito potius bene de aliis merendi colore, beneficia confert: nulla res impedimento est Illius beneficentiae, nullum temporis momentum Illius interpellat liberalitatem, nullus locus largitatem excludit. Atque hac in parte orationis in eam legem, quam principio mihi de virtutibus dicturo statui, invitus committo; cum unum aliquod Illius incredibilis munificentiae facinus memorare ejus virtutis magnitudo me cogat. Cum forte quadam, ut ibi moris est, certa officii ratio suasisset, ut regio, et quam splendidissimo Eam Principem deceret, ornatu concinnata domo prodiret, ab Eadem egenus per Deum obsecrans stipem rogavit, quae, cum numeratu prom-

pta non esset, Ipsa minime ferens, quod vel hic unus in omni vita non esset benefaciendi locus, miro levandae egestatis amore ducta, maximam pretiosissimi muliebris mundi partem, quinquies supra vicies millies aureorum nummum aestimatam, stipis nomine illi erogavit. O viri disertorum optimi, optimorum disertissimi, laudate etiam atque etiam hoc egregium virtutis facinus; ac si illud singuli ab cunctis suis partibus commendare haud possitis, laudet hic eximiam animi magnitudinem, ille incredibilem erga Deum amorem, alius admirabilem externorum bonorum despicientiam, alius singularem humanitatis adjuvandae voluntatem; atque ita omnes aeternis laudibus tanti facinoris exornate memoriam. Et nos ad ejusdem summam erga Rempublicam pietatem gradum faciamus. Cari quidem profecto habentur amici, egregie cari parentes, conjuges parentibus cariores, liberi cunctorum carissimi: sed omnes omnium caritates complexa est una ipsius caritas in Rempublicam, quae tanta, et adeo mirifica fuit, ut aegro animo ferret (si tamen aeger dicendus est CATHARINAE ARAGONIAE animus tanta virtute formatus: sed quando ejusdem novis, maximisque rebus deficiunt nomina, dicamus licet) ut aegro animo ferret, se sic natam esse, ut sexus conditione praepedita bene quid de Repubblica mereri non posset. O miram erga publicam rem pietatem, qua non animadver-

tit se de ea satis superque meritam esse, cum Eidem amplissimum ac praeclarissimum dederit Filium, qui periculossimis praefecturis fortissime gestis, gravissimis legationibus magnificentissime expeditis, summo Imperatoris-munere, quod in hoc Regno summa cum laude gerit, splendorem ac decus Imperii omnium maximi conservarit, et auxerit! At non Ei sat est dedisse unum. O magis miram erga publicam rem pietatem, cui non sat est dedisse unum; cum tamen iccirco tantam habeat admirationem, quod unum dederit: si namque plures dedisset, non aeque tanta admiratione digna videretur! Unus enim ipsi erat ornatissimus Filius, quo solo omne decus nominis, ac omnis gloria praeclarissimae CORDIORUM familiae fulciretur: et tamen passa est, quid inquam passa est? lubens consensit, ut munus in primis periculosum, et anceps primum inter publica obiret, et Neapolitanorum classi praeficeretur. Unus Ipsi erat amabilissimus Filius, cujus jucundissima praesentia sic oblectabatur, ut ejus jucunditatis fructui nulla voluptas conferri posset: et tamen, quia hunc desiderabat Italia vel amplissimum Legatum, vel summum Imperatorem, tam aequo animo tulit hujus, Reipublicae caussa, adeo longinquam ac diuturnam absentiam, ut fato praeventa praeclaram historiam rerum ab optimo Filio optime gestarum, ipso narrante, minime audire potuerit. At Rempubblicam nullis meritis a propria virtu-

te profectis ornatam putat. O maxime miram erga publicam rem pietatem, cui non videtur Imperii Majestas propriis virtutibus non modo cumulata, quod est maximum, non modo aucta, quod magnum, sed ne ornata quidem, quod aequum; cum ad eam non modo honestate ornandam, non modo dignitate augendam, sed etiam gloria cumulandam omnia studia, omnia prorsus officia collocarit! Ecquid enim sunt innumera illa, et quidem maxima, quae usquequaque obivit, beneficentiae munera, nisi cumulatae Imperii gloriae luculentissima monumenta; cum ad ea suscipienda hac laudabili opinione potissimum duceretur, qua existimabat, quaecunque officia, ut sua cuique dignitas tribueretur, peregisset, ea ad Imperii decus summopere pertinere? O saluberrimam Hispaniae Rei universae opinionem, quae in hujus animum induxisti, ut cunctorum ferme omnium, qui Matritum ab diversis ditionibus Regi subjectis vel meritos honores petitum, vel juris sui experiundi caussa confluerent, se Patronam praestaret. At quam, quantamque Patronam! cum de hoc ejus Patrocinio, etsi plurima bona, atque ea quidem plurimi boni narrent, nunquam tamen se satis narrasse dicant. Nec quippe sibi satis dixisse videntur, ut hoc eximium Patrocinium non implorata, sed ultro suscipiebat; neque id quorundam dumtaxat, sed omnium; nec cum aliquo personarum discrimine, sed uno offi-

ciorum servato delectu: cum aeque bonam apud Eam gratiam mererentur et qui summo, et qui infimo loco nati essent, et qui commendatione virorum principum, et qui sola illius fide freti ad Eandem accederent: dum tamen aequa esset sui patrocinii exorandi in aequitate posita ratio. Neque etiam se satis dixisse putant, quod ad hosce omnes suis beneficiis honestandos sola honestate impelleretur; quodque, si haec adesset, nullum officii genus omitteret, sive in ipsa re, sive in honore verborum positum esset, quod ad eorundem commodum, vel amplitudinem pertineret. Nec denique se satis dixisse intelligunt, ut in unoquoque officio suscipiendo nulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis uteretur; ac in eodem deinde persequendo omnem operam, curam, ac diligentiam adhiberet; ac eo tandem absoluto, nullas omnino pateretur sibi beneficii nomine gratias agi; dictitans, quae aliis mera beneficentiae munera viderentur, ea sibi esse absolutissimas justitiae partes. Audivimus, inquiunt, ipsi audivimus illam saepissime dicentem, secum praeclare cum felicitate actum esse, quod suus vir amplissimus primo Imperii honore post Regem donatus esset; ut nullum, quamvis maximum officii genus esset aut studii, nulla res, etsi supra modum ardua, quae vel ad utilitatem, vel dignitatem omnium sibi veluti clientelae jure devinctorum spectaret, quam non aggredi, non

persequi, non denique perficere conaretur. Vidimus, ajunt, ipsi vidimus illam per Divun templa saepissime concursantem, amplissimos Senatores nunc summa aequitate rogantem, nunc mira animi forditudine expostulantem, ut jus unicuique suorum, ut ita dicam, clientum pro dignitate tribuerent. Quid itaque interest, quod maximis exercitibus fortissime non imperavit, cum tanta animi fortitudine praestiterit, ut imperarent fortissimi Imperatores? Quid, quod in amplissimis Regnis Regis vices justissime non gessit, cum tanta justitia curaverit, ut iis justissimi viri Principes praeficerentur? Quid, quod suo exemplo neque in acie, neque in foro erexerit aut militum, aut jusdicentium animos ad praeclara sive fortitudinis, sive justitiae facinora, cum haec ipsa munera egregie impleverit officiis, quibus perfecit, ut hi omnes meritis praemiis, quae virtutum incitamenta sunt maxima, donarentur? Non erat sane, non erat virtus CATHARINAE ARAGONIAE hujusmodi, ut intra certos fines unius ditionis Imperio subjectae exerceretur. Digna quippe fuit, ut ad caput ipsius Imperii orbis terrarum amplissimi versaretur sublimis, ut inde tranquillitatem, veluti vitam, in cuncta reliqua regna, maxima hujus Reipublicae membra diffunderet. Quanta ergo? non queo, Auditores, statuere, nec volo dicere: tristitiam universi Imperii tanta Patrona orbati malo vobis silentio conjiciendam re-

linquere, quam oratione imminutam explicare. Jam cognovistis, credo equidem, CATHARINAM ARAGONIAM tanta cumulatam justitia, ut non sibi, sed Deo, ac egenis; non suis, sed Reipublicae, ac bonis omnibus nata videretur. Itaque bonorum omnium, quibus erat a prospera florentique Fortuna non ad aliorum exemplum exaggerata, quam sibi partem reliquam fecisse putatis? Aut nullam, aut pene nullam, vos mihi videor audire responsuros. O factum bene! quod in nostra Heroina virtutes ita inter sese copulatae sunt et connexae, ut alia ab alia separari non possit; quandoquidem summae illius justitiae aeque summa animi Moderatio se addiderit comitem. Atque hanc quidem eo majorem in ipsa suspiciemus, quo majora Naturae bona, ac ornamenta Fortunae admirati sumus. Quo enim in excelsiorem se tollit locum felicitas, eo in altiorem pervenit apicem hujus virtutis laus; cum ejus hoc sit, ut difficillimum, ita praestantissimum munus, ut obsequenti felicitati modum adhibeat. Et sane, ut id praestet, in eo totae ferme occupantur ancillantes illi virtutes, ut Temperantia superbiam et immanitatem arceat, atque Facilitatem Clementiamque contineat: Modestia arrogantiam, libidinemque prohibeat, atque comitatem, et Pudicitiam complectatur. An expectatis, ut ego ab unaquaque harum virtutum laudibus eam exornem, quam amissam collacrymamur? Nolite, vos quae-

so obtestorque, nolite tantum meis humeris impar onus imponere, ac patiamini ipsas res potius omni verborum, ac sententiarum ornatu nudatas accipere. Accipiatis itaque. Haec illius Temperantia fuit, ut non recti animi impetus rationi moderatrici non modo non reluctantes obedirent, sed lubentissimi obsequerentur. Haec vero Facilitas, ut ipsa amplitudine, quam summo dignitatis gradu retinebat, quae stimulos invidiae praecipue admovet, hominum studia ad sui benevolentiam alliceret et excitaret: Clementia ejusmodi, ut si forte civium tranquillitatem, nonnisi poenis in facinorosos irrogatis conservare posset, Ei Principem natam esse displiceret: Haec Modestia, ut quae faceret, quaeque diceret, omnia ordine, modo, ac specie quadam liberali faceret, diceretque, quibus gravitatem cum humanitate conjunctam retineret: Haec vero Comitas, ut homines Eam duntaxat vidisse, et compellasse, summum operae pretium facerent: Pudicitia denique ejusmodi: sic virgo vitam degit, ut nunquam nuptui se collocatum iri putaret: sic nupta, ut semper morum virginem decentium memor esset: sic amplissimo viro orbata, ut conjugalis vitæ nunquam meminisset. Atque aliud agens in illam orationis partem incidi, ubi eram de alia illius virtute principe tractaturus: nimirum de incredibili animi Fortitudine, qua mortem eorum, quos unice diligebat, reliquosque humanæ vitæ casus

magno erectoque animo toleravit ac tulit. Neque conspiratio consensusque virtutum, quibus erat usqnequaque referta, patiebatur, quae secundis rebus a voluptate, caeca virtutis inimica, victa non est, eam adversis, a dolore hoste ejusdem apertissimo, frangi debere: immo desiderabat potius, ut summa ejus esset in omni vita aequabilitas, idem semper esset vultus, eadem frons semper esset. Atque id quidem sane nostra Heroina incredibili cum admiratione optimorum praestitit ac perfecit: quandoquidem tantam animo extruxit altitudinem, excellentiamque virtutis, ut ibi, tanquam in specula excubaus, omnia humana perspiceret sic, ut ei nihil improvisum accidere posset. Et ut praeclara tantae virtutis pericula faceret, Fortuna, ac Natura, quae magnam in utramque partem vim habent, eo simul etiam conspirarunt: etenim quemadmodum illam tot secuudis rebus insigniter exornarunt, ut ex iis innumeras, et maximas caperet jucunditates officiorum, quamobrem esset apprime felix, ita eandem adeo afflictis fortunis perculsernnt, ut proinde pleno miserationis vocabulo orbata dici deberet: orbata, nimirum, parentibus amantissimis, orbata amabilissimo viro, quos ut oculos suos amabat, ipsis oculis octo ante mortem annos orbata. Orbata parentibus, maximis gravissimisque rebus spectatissimis, sed in primis probatis, quod effigiem virtutis ac probitatis suae

tantam Filiam reliquerint : orbata viro dulcissimo, qui cum ea amore summo, summaque fide certavit: orbata oculis, quos tanta humilitate in Deum, tanta comitate in supplices, tanta miseratione in Pauperes dirigebat. Sed hae acerbae orbitates ab ipsa mira fortitudine cum animi laetitia compensantur, quam capit ex memoria, quod Parentibus amplissimis omnem honorem, venerationem, ac reverentiam, quam sunt meriti, praestitit: quod praeclarissimum virum, ut erat propter innumeras suavitates ingenii, ac virtutis, singulari amore dignus, amavit: quod oculis nunquam accepit levitatum imagines, at semper simulacra virtutum. Quin etiam nunc tandem ait sibi datum esse vera humanae naturae munera obire, nimirum animum animo cernere, rationem ratione videre, et sic intueri virtutem, et contemplari Deum: cum in homine summa omnis sit animi, in animo rationis, in ratione altissimum, et maxime excellentem teneat locum virtus, quae sola hominem ad Deum propius visendum manuducit. Tantos illi res adversae animos addiderunt, tu hisce dimicationibus cum adverso casu virtute factis, veluti umbratiles agens pugnas, sese pararet in extremo vitae discrimine morti adventanti vel obviam, si opus esset, procedere. At mors, eheu miserum! in medio cursu jam advenit. Date hic, date, lacrymae, dictis locum, ac finite, me cum aliqua specie fortitudinis

narrare mirum ac incredibile, quod ipsa dedit heroicae virtutis specimen, dum illam viriliter excipit, dum illam fortiter oppetit: finite me narrare, quo pacto, dum tot fortunae bonis, tantis Naturae ornamentis, ac tam jucundis virtutis officiis acerbissime rapitur, omnes excelsas atque invictas Fortitudinis comites in alto atque erecto animo excitat; ita ut humanarum rerum despicientia omnia, et maxima bona, quibus vitam habet, sic ut nihil supra, confertam, regio spiritu omnino contemnat. Constantia vero aequabilem vitae rationem ad supremum usque spiritum cum gravitate retineat: Patientia, ut acerbissimos dissolutionis Naturae dolores alacriter perpetiatur: ac animi denique Magnitudo tantam appetat rem, quanta ea est, non hominum, sed Heroum more mortem obire. Et quidem sane eo magis admiratione dignam illius bonorum despicientiam credetis, quo majora ejusdem vitae commoda memoria repetatis. Etenim si jucunda vita est, quae inter homines antiquae virtutis degitur, et in publica amplissimarum urbium luce versatur; jucundissima hujus vita erat, quae inter Hispanos, homines eximiis ornatos virtutibus, et in arce Imperii Orbis terrarum amplissimi agebatur. Si accepta ejus vita est, qui splendorem, ac dignitatem gentis posteritati mandare possit; acceptissima hujus vita erat, qua deficiente Principatus Aragoniae Familiae immortali

gloria, virtute summa, et antiqua Regnorum Majestate praeclarissimae deficiebat. Si grata vita est referta iis Fortunae bonis, quae ad houestatem sint satis; gratissima hujus vita erat, quae tantis affluebat opibus copiisque, ut ad regium splendorem, magnificentiam, liberalitatem, ac beneficentiam Rege dignas satis superque haberentur. Si optata vita est honesto dignitatis gradu cohonestata, optatissima hujus vita erat honoribus in Republica omnium amplissima amplissimis cumulata. Magnas suavitates praesefert vita dulci Matris donata nomine; at maximas vita hujus, quam reverebantur Matrem unus Heros, octo Heroinae. Dulcis vita est, quae diligitur propter multas suavitates ingenii; at dulcissima vita hujus, quae propter inuumeras praeterea jucunditates officiorum bonis omnibus cara erat. Cara vita est, quae laudatur a bonis; at carissima hujus, de qua consentiens laus optimorum, et incorrupta vox optime judicantium de excellenti virtute eo magis et magis crescebat, quo longius ejus aetas produceretur. Ecquis forti animo praeditus, cum Ei tot, tantaeque vitae jucunditates, suavitates caritates ob oculos ponerentur, mortis metu non frangeretur? Et tamen nostra Heroina existimat, animi esse non sibi sufficientis optare publicam lucem, inanis gloriae cupidi studere familiae perennitati, nimium angusti aestimare opes, et copias, popularem auram sectantis magnifacere ho-

nores, foeminati nomen matris curare, ac denique non ad virtutem facti aucupari laudes et gloriam. Et quemadmodum hac mira despicientia haec omnia sprevit optata bona, ita aeque mira animi magnitudine res semper longe optatissimas, nempe virtutes appetivit: et sicuti in rebus agendis summam semper Prudentiam amavit; sicuti in jure cuique tribuendo, sive id deberetur Deo Optimo Maximo ac Religioni, sive summo Regi, ac Reipublicae, sive Familiae, ac illius Principi, sive amicis, sive subjectis, sive denique bonis omnibus, semper eximiam Justitiam dilexit; sicuti inter opes et copias; inter summos dignitatis et honoris gradus, inter maximas sui admirationes et laudes semper maximam animi moderationem exoptavit; ita inter acerbissimos dolores, inter terrores molestissimos, inter suprema vitae mala heroicam virtutem explicavit. Ad hanc heroicam virtutem, ad quam erigit CATHARINAM animi Magnitudo, invitat etiam Constantia, quae ob hujus oculos ponit virtutes omnes, quibus semper animum exornavit, atque hanc confirmat, ut rationem vitae cum illis actae retineat; viribus auget, ut cum illis tandem etiam absolvat. O praeclara Constantiae munia! At o praeclariora Patientiae! Haec namque ut illa acerbissimos dolores prae dissolutione animi coelesti specie praediti, et corporis decora dignitate undique ornati, quae tam jucundo, dulci, ac suavi erant

inter sese nexu conjuncta, alto et erecto animo perpetiatur, Eam avocat a cogitandis mortis molestiis, et revocat ad contemplandas voluptates officiorum; ut solamen ex his jucundis recordationibus capiat, quam caste et sancte Deum Optimum Maximum coluerit, quanta fide ei vota voverit, quanta pietate Filios Divorum Reginae dedicarit, quanto studio, cura, et sollicitudine egenorum inopiam Dei caussa levaverit; ut dulci se memoria reficiat summorum in Rempublicam meritorum, et maximorum beneficiorum, quae in bonos omnes Reipublicae caussa contulerit; ut sibi grato esset solamini meminisse, quam temperate, humaniter, et clementer, quam modeste, comiter, ac pudice degerit vitam, et in maximo omnium dolore hoc aeque maximo solatio fruatur, quod Ei affert praeclara recte factorum conscientia. Ita CATHARINA ARAGONIA, Princeps universis Fortunae bonis ornata, cunctis Naturae suavitatibus aucta, omnibus Virtutis laudibus cumulata ex hominum vita heroum more demigrat, cui nunc Dolor Orbis, et Amor parentant. O plenissimum acerbitatis officium, quod omnes mentis partes exagitas, divexas, afficis ac perturbas! O quam innumeras imagines doloris tristitiaeque plenissimas, quo me acie vel oculorum, vel mentis vertam, intueor, et comtemplor! Fortissimus Filius moestissimo silentio, quod lacrymas et querelas, quas excitat in animo pietas, vel fortiter

omnino jugulat, vel saltem graviter opprimit, Parentem amabilissimam lůget. Ornatissimae Filiae, quemadmodum inundantia flumina tandem undas limo, ita lacrymas uberrime effusas stupore denique supprimunt, et constanti frontis contractione, firma dejectione oculorum, languida membrorum solutione nihil vivum praefeferunt. Ita ob oculos mihi versantur Matrem optatissimam deplorare. Sanctissimae Matronae regios, ac nitentes corporis ornatus deponunt; ac aliae ploratu temperare vix, ac ne vix quidem possunt, aliae pectora decora humi defixa tenent; omnes nonnisi lacrymis, nonnisi squalore, nonnisi veste sordida delectantur. Ita eas videre videor maximum suum decus lugere. Gravissimi viri Principes odio publicam lucem habent, et hominum adspectus refugiunt; ac illi dolorem faciunt ipsa solitudine acerbiorem, alii illum in amicorum sinum exonerantes, ampliorem consuetudine faciunt. Ita speciem habere sentio, eos vel amara solitudine, vel consuetudine misera de ornamento sui ordinis maximo amisso queri ac lamentari. Boni omnes, qui ab ea sunt in universo Imperio vel cohonestati officiis, vel fama officiorum ad illius benevolentiam excitati dolore anguntur, conficiuntur tristitia, sollicitudine perturbantur. Sed dolorem, tristitiam, solicitudinem, quam prae tantae Principis obitu Res Hispana conceperit, quis est, qui cogitatione' ne dicam verbis complecti possit? Eheu si

ipsa Respublica, ac omnia, quibus continetur, Regna personas indui possent, ea hic videretis, ante hanc funeralem struem in sordibus ac moerore jacere: si possint collacrymari, hoc ipsum pavimentum, ubi consistitis, videretis eorum lacrymis madidum; si suspirare iis datum esset, huncmet ipsum aerem, quem bibitis, igne aestuantem hauriretis: si denique iis querendi potestas fieret, hoc Templum, hoc tectum, hos parietes, hos singulos audiretis eorum querelis undique resonantes. Eone, Fortuna, illam tot eximiis commodis prospera ornasti, ut iisdem tam cito orbatam acerbiori luctu deploraremus? Eone, Natura, illam tot egregiis ornamentis benigna auxisti, ut iis praematurius nudatam funestioribus votis prosequeremur? Eone illam tot praeclaris bonis, Virtus pulcherrima, cumulasti, ut, cum in illius vita te nobis totam ostenderes, nos quam maestissimos porro relinqueres? O CATHARINA ARAGONIA, unicus nostrum omnium dolor, quam nuper decora et ornata erat aetas nostra, Te sospite; nunc sine Te quam squalida, ac demissa! quam nuper secura erat cujusque egestas, quod suas angustias maneret, Te opem ferente, levamen; fine Te in quanta nunc versatur sollicitudine! quam nuper certa erat cujusque bonitas, quod sua promerita praemium, Te patrona, maneret, sine Te quanta nunc cura vexatur. At ille angor, ille moeror, illa aegritudo, quam susti-

het piissimus Filius, quod Tibi non potuerit postremum vale dicere, non potuerit oculos premere, non potuerit funus producere, nos nos habet auctores. Nos Tibi, Princeps optime, nos Tibi (fatemur enim) impedimento fuimus, ne haec officia pietatis praesens illi persolveres. Nostra felicitas tuam auxit in casu tam adverso calamitatem. Nobis igitur, o acerbissima mors, nobis est cum primis de tua summa acerbitate tecum expostulandum. Itane Natum amabilissimum Parenti restituis, itane Parentem amantissimam Nato? Quid de illa huic refers? eheu, gelidum cinerem! Quid de hoc illi? At o nostrae nimium humi defixae mentes, quae sensibus non modo oppressae, sed pene obrutae ad Caelum contemplandum revocari vix possunt! O si supera et caelestia ita mentis acie, ut haec oculorum susciperemus, ipsam, cui nunc dolemus tam acerbe, quam nunc lugemus tam misere, ipsam, inquam, CATHARINAM ARAGONIAM, nobis, non hunc acerbissimum dolorem abstergere ac lenire tantum, sed etiam in maiorem animi iucunditatem, quam, quae eius obitu nobis adempta est, hac oratione commutare audiremus: Quid, viri piissimi, in meo funere lugetis? Quid, viri piissimi, lacrymatis? Dolor iste non quidem certe vestrum caussa vos angit; quod solum pessimos iuvat, qui tantum se ipsos amant; sed angit vos caussa mea, quod decet optimos. Si itaque me

Fortunae bonis orbatam lugetis, suspicite haec aurea tecta, hanc aeternam Caeli serenitatem, hunc inaccessum apicem supra imbres nimbosque, supra procellas ac turbines, supra tempestates omnes, quae in vos passim furunt, positum et locatum; et quam firma, et quam summa sint bona, quibus in Deo Optimo Maximo fruar, perpendite. Si me Naturae ornamentis nudatam deploratis, suspicite haec aeterna lumina, quae tantam Mundo pulchritudinem addunt; et quam eximia sim cognoscatis, suspicite haec Templa, ubi omnia vestra exaudiri vota exoptatis; et quam amplissima patrocinia apud Deum Optimum Maximum suscipiam, consideretis. Statuite proinde, statuite tandem modum luctui, finem dolori, et siquidem mea de morte adeo doluistis acerbe illo potissimum pleno honestatis argumento ducti, quod maximis vitae commodis me orbatam existimastis; nunc vos tandem decet, ut hac longe et honestiori, et sapientiori ratione animos ad hilaritatem laetitiamque revocetis, quod ipsa omnium prorsus vitae bonorum optatissimum finem morte adepta sim et consecuta, immortalitatem scilicet, summa pace refertam, et constantissima felicitate cumulatam.

AN. MDCXCVII.

PRO FELICI
AD NEAPOLITANUM SOLIUM ADITU
PHILIPPI V.
HISPANIARUM NOVIQUE ORBIS
MONARCHAE.

ORATIO

Si universum hominum genus certo, immutabilique melioris naturæ foedere dominantia rebus pro earum dignitate vocabula consignasset, ita insolens, atque hactenus inauditum de Te, PHILIPPE, laudationis genus cuncti homines tua vi disertim funderent; uti nova, atque inusitata ex Te laudum argumenta promanant. Tanta enim abs Te in utroque terrarum orbe late patenti Imperio, et majestate tui generis parta est salus, et eximia tui spectabilitate corporis, animique praestantia tanta felicitas comparata; ut isthaec ipsa digne narrasse, citra cujusque eloquentissimi exempla cumulasse laudibus putaretur. At vero ad has verborum augustias, quibus sponte naturae prae tua magnitudine laboramus, illud

praeterea urget incommodum, quod quas laudis significationes lingua omnium, quotquot unquam floruerunt, regnatrix et domina exquisierit, ac merito vix sufficerent tuo; eas in suis Principibus exornandis Romanorum ignoratio, vel obsequium ferme omnes exhauserit. Siquidem ab iis alius terrarum rector est dictus, cui, immenso oceani tractu intentato, alter orbis imperio moderandus restabat: alius nationum praesidium et columen, quas vix dimidiato Sol lustrabat curriculo; quasi vero nullis aliis gentibus allucens facem, reliquum sui orbis spatium esset irrito decursurus: alium generis humani dixere delicias; quo sane plurimae, ingentesque nationes oblectarentur, sed intra certos terminos metu, an invidia? conclusae. Te vero, REX POTENTISSIME, quibus vocabulis designabimus, nedum laudibus efferemus, qui gentes vi innumerabiles, locis infinitas, dubio Hispanici dominatus subsidio, omnium rerum festinantes ac trepidas, hoc ipso, quod tuas esse volueris, sospitasti: tuoque unius nutu tantum imperium constitit, quod non montibus, non ripis, non litoribus terminatur, sed fines, quatenus per rerum naturam licet, porrigat extendatque: et quos populos, ut respexisti, incolumes feceras, modo, iis dum Te praebes conspiciendum, beatos facis. Quas igitur dignas grates Tibi habeamus oportet, REX DILIGENTISSIME POPULORUM, qui post rerum caput Hi–

spaniam, primum omnium hoc Regnum, hanc Urbem tua augustissima praesentia recrea-ti? Omnes sane omnium ordinum Cives in laetitiam, hilaritatemque diffusi eas Tibi habent Maximo Principi maximas; infinitis virtutibus ornato, innumeras; aeternis beneficiis affluenti, immortales. Ita sentiunt vulgus: ita prudentes intelligunt. Sed illos infantia praepedit; hos modestia attinet; me mei muneris officium impellit, ut dicam. Tuae modo erit clementiae ex summo Maiestatis culmine in haec ima descendere: et illum, spero, humanitatis capies fructum, ut noveris, quantum super fastigium humanarum laudum emineas. Augustiora Christi Triumphalis sacra celebrabamus, quum Regiae classis Caietam appulsae iucundissimo excepto nuncio, extemplo felix omen accepimus, Te per dies omnium festivissimos ad huius Regni appulisse oras; qui Tecum omnia ad nos prospera, feliciaque conveheres. Ibi qui priores eam exceperunt famam, e vestigio undique per Urbem alacres erumpentis iucunditatis quaerere socios: et universi sibi ultro citroque plaudentes tantam novam rem gratulari. Laetabantur iuvenes, se iam illum visuros diem, quem narrando demirentur minores: gaudebant senes, se tanto bono superstites, cui longa maiorum series praerepta esset. Adversis acti, prosperisque florentes in spem erecti, illi malorum finem, hi meliorum exordia quam mox

expectabant. Quae tum vota concepta Divis, uti nimbi, et mens illa motuum terrae potens tandem aliquando in nostra Campania desaevirent: neu innocentissimae regioni injustam apud Te conflarent invidiam. Tu aeternorum luminum rector, nostras omnium curatissimas audisti preces, ut anni tempora jamdudum promiscua constantius aequabiliusque moderares; quo nostrae orae Genius suo se ostentaret Regi laeta veris facie, nempe sua. Hos de Te Sermones cuncti cives iu multam illam noctem conserebant: haec sensa per quietem, si qua ullum inter tam flagrantia desideria amplexa est, agitabant. At ubi postera luee Te Baiis constitisse et tonantia, et percussa aera renunciarunt, civitas universa ita immodico tuae propinquitatis gaudio elata est, ut ipsa laetitia per fora discurrere, tecta subire videretur. Et in ancipiti, qua Urbem adires, alii complere litora, alii vias occupare; pars summa tectorum; quamplurimi collium speculas superare, qui eminus cominus Te conspicerent. Non imbecillitas aetatis quemquam, non valetudinis fastidium, non denique sexus pudor attinuit, quominus oculos augusto Tui expleret, insolitoque spectaculo. Pueri enim suum delicium, suum robur juvenes, suum senes levamen, aegri suam salutem visere cupiebant. Cumque morae impotentes, universi ejusmodi desideriis aestuantes, odiosum cessare tempus incusamus, quod pigrum Tui visendi velo-

cissimum desiderium effecerat; vix tandem ad Pausilypum promontorium conspecta classi, quam laetae illae voces, et quam alacri spiritu ad caelum usque sublatae: En Sol Regum ab occiduis undis nobis exoritur! Atque interea rerum dum Mergellinae, Olympiaeque praeterlegeres oram, sensim nostri Crateris undae liquidiores fiebant, amoeniora litora, ridentiores colles: Sol ipse illustrior: augustior hujus Urbis fieri facies visa est. At ubi in hanc terram egressus es, Deus immortalis! ut aquae abyssus, seu ignis, seu quod magis naturae lubet, et Philosophis ignoratur, ab imis terrae visceribus tua sensit jucunda pondera; et formidandam vim illam, qua immota movet, inconcussa quatit, Tibi refraenavit ac pressit. At enim ubi primum de Regiis aedibus frequentissimo populo visurum, visendumque Te praebuisti; inter laeta omina, quibus omnia personabant, qualem in fabulis per machinam Deum aliquem, talem Te ad nos de caelo descendisse spectavimus. Et sane, uti nsuvenit, ut majorem longinquitas conciliet Principibus reverentiam Majessatis, maxima erat de Te, PHILIPPE, nostra omnium opinio, quum abs Te immodestum terrarum spatium dissiti agitabamus. Te namque observabamus INCLYTI GALLIARUM DELPHINI natum, cui et inter quaesitissima Minervae studia agitanti, praestantiora hujus tempestatis ingenia floruerunt; et discriminosissimas subeunti Martis

aerumnas quisque fortissimus vel hostium extimuit. Te LUDOVICI MAGNI magnum excolebamus Nepotem, hoc est, ab eo Galliarum Rege progenitum, qui teterrimas Regni seditiones oppressit: qui ab novis religionibus sacra patria vindicavit: qui in Pannoniam, Lusitaniam, Belgas, Sequanos, Mediterranei maris insulas, Africam, Americam legionibus, classibusve missis, decimum aut plus eo imperator suo partim ductu, partim auspiciis maxima bella confecit: qui Imperii Gallicani fines quoquo versus protulit, ampliavit: qui inter arma, finitimis pacatis, omnes bonas pacis artes fovit, nutrivit, et aluit: auctoritate apud hostes gravissima, fide in socios singulari Regnum obtinet, regulam normamque reliquorum: qui denique incredibili prudentia, ac pene divina omnium Regum sanctiora consilia permeans, uti natura universarum rerum virtutes, ita is omnium Principum mentes in se unus complectitur. Te denique eius Monarchiae Regem venerabamur, cuius fines, si quis oculis vellet describere, universam aetatem percurrens, ante vitam absolveret; quando Te Regnatorem Europa, Asia pium, munitum Africa, opulentum America veneratur: et rerum natura ipsa Mediterraneum, Oceanumque in brevissimum fretum Tibi ad Gades extenuavit; ut inde terras omnes, et universa orbis terrarum interna, externaque maria ex arbitrio moderares. Tot tantasque Maximi Regis et ab stirpe, et ab

Regno laudes, omnes Augustissima Tui praesentia superavit ac vicit. Nec vero ei Majestatem conciliasti ingenti classe; nam paucae huc nostrae triremes advexerant: non illustri pompa, et triumphali in Urbem ingressu; nam pene privatus subieras: non paludamento, aut corona conspicuus; siquidem modestissimo ornatu tamquam non regnaturus, sed rusticaturus adveneras. Et tamen ubi Te ad regiarum aedium menianum, mox ad solarium inter plures aulae proceres promiscuum infinita illa multitudo conspexerat; ut filii occulta, et insita necessitudinis vi ignotos parentes, ita Majestatis virtute suum Te Regem agnoverat. Et adeo Tui ab Gallia praemissae icones nequicquam ad agnitionem iuverunt, ut illico culparemus auctores, qui cum maxime augustissimam Tui speciem referre conati sunt, nec eximiam oris honestatem, nec caelestes vultus virtutes quicquam ad Tui imitamentum expresserint. Tam laeta enim serenitas frontem explicat, tam suavis in oculis caeli color viget, et in colore caelestis vis luminis eminet, tam gratus candor oris, quem roseus pudor subinde tingit, tam iucunda totius habitus incessusque cum decore gravitas temperata, tam veneranda undique ex Te Majestas emicuit, ut si vetustus mos vigeret, ut formosissimus quisque deduceretur ad Regnum, Te jam maximum Regem oculis legissemus. Et vero si nobis qua Majestate polles, minor apparuisses, non Te in imperio, sed

in Te Imperium suspiceremus: et cogitandi ordo, et natura has primum de Te notiones in cujusque animo explicuisset: O sorte nascendi felix, quem jus regnorum, et fas gentium ad tantam evexerint Monarchiam! Sed nihil sane horum: quin, Te conspecto, inter plausus illae voces impetu proruperunt: O digne, cui tot regna subjaceant! O merite, cui Sol nunquam occidat! O par, qui tantum modereris Imperium! Quid ego referam, ut Tibi de navi egredienti laeta occurrerit Nobilitas, et Senatus? ut alacres ad officium Magistratus convenerint? et a Te ad manus adorationem incredibili admissi clementia, qua capti admiratione discesserint? inde satis alii vixisse, Te viso; alii tandiu porro vivendum esse praedicabant; quoad tuis divinis vultibus explerentur. Ita et eo die, et aliis quacumque progressus es, frequentes confertique undique ad Te concurrere, Tibi obversari, Te subsequi, comitari, praevertere: nec quicquam aliud per hos dies, quam Te unum spectare possunt. An non quemque nostrum hoc mortali corpore gravem is nunc erga Te regit amor, quo caelum regitur? qui nihil aliud exoptamus, nec alium nostrorum finem bonorum credimus, quam Te intueri, tuis delectari vultibus, in Te nostras omnium felicitates, Te in nostris publice privatimque bonis contemplari. Ita quicquid nobis obversatur, regium videtur; regium, quicquid sentimus. Adeo nos su-

pra nos metipsos tuo ad nos adventu evexisti, ut jam alio obtutu Urbis intueamur magnificentiam, alio soli ubertatem, caelique risum, alio populi frequentiam, nobilitatisque amplitudinen. Et cum primis quam splendidiora illustrioraque tuorum monumenta majorum, Te visente, visa sunt? Certe CAROLI I. aliorumque ANDEGAVENSIUM REGUM tua praesentia allevatae sunt tumuli pondere religiosae reliquiae. O qui fuerit ille regiorum cinerum sensus? quae tacita magnos manes gaudia pertentarint, cum longis seculorum post decurrentibus orbibus, ex sua stirpe augustissimum germen exortum sit, quod tantam rerum summam adeptus est, ut ejus ditionis id Regnum particula videretur, in quo ii summis potentes opibus pollentesque regnarunt. Quid igitur est, quod Tibi a nostris supra solita boni civis officia hanc miram benevolentiam, incredibile hoc studium, hanc intensissimam pietatem conciliavit? num Tua Majestas? at meram tremimus: an nostra amoris abundantia? at tuum est infra meritum: an fortuna? at ea in animos tam late diffusum et aequabile imperium non obtinet. O viri sapientes, qui id maximopere exoptabatis in vita, ut amabilissimam virtutis imaginem homines oculis suis videre possent; o quam vellem, hic praesentes inter nos ageretis: nam de pulcherrimo nostri Principis corpore pulchriores, quam dici, aut fingi possunt, miraremini provenire virtutes; quin si

natura modo dissimularetur, certe virtutem ipsam tali corporis habitu putaretis indutam, qualem ut nostra fert religio, ex aethere purissimo caeli mentes, ubi lubet, sibi conformant et aptant. Nam et ab decoro honestae faciei vultu, concinnoque civilium membrorum commensu formam supra quam feminae, ab artuum nervorumque firmitate vim supra quam hominis, ab praeclaris regiorum officiorum exemplis virtutem supra quam viri suspiceretis: O rerum omnium auctor, et efformatrix natura! quam bene per te factum, provisumque fuit, ut qui novum rerum ordinem in terris erat explicaturus, eum ad talem animi corporisque formam effingeres, ut oculorum sensui obviam faceret imaginem speciemque virtutis, qua homines excitati, capti, inflammati non vi, sed sponte sua ad optima vitae instituta revocarentur. Iam video Te, AUGUSTISSIME REX intelligere, in quo verser loco, mihi difficili, Tibi gravi, hoc est, de Tuis virtutibus me esse dicturum. Sed quamvis hic tua erubescat modestia, ea adeo non me ab incoepto deterret, quin impellit, ut istinc alacer prima sumam exordia. Nam sive virtus sit, sive virtutis color, certe pudor praeclarissimum est tuae divinae indolis specimen, ceterarumque tuarum virtutum maximum documentum. Ecquis sane temperet laudibus, cum cuius legibus innumeri populi ac gentes parent, qui supra leges eminet, cui quicquid placet, abit

in iussa legum; eum viderit vel ad importunas supplicum preces, vel ad opportunas Procerum suggestiones erubuisse? An quis Te maior adest, cuius Te pudeat? Certe maiorem Te videt Sol neminem. Cuius igitur pudet? Tui ipsius. O robustissimum argumentum: Te illum esse, qui id solus agas, quod ageres coram sole! Sed cuius rei pudet, ubi nullum abs Te peccatum? irritum Tui pudorem putare nefas. Igitur tam perfecte vitam instituisti, ut ab ea errasse legum dominus intelligas, ubi nos legum servitia nihil declinatum putamus. Ecquibus humanae virtutis exemplis tuas illustraverimus laudes,cum viri virtute gravissimi eorum sibi dent veniam,in quibus Tute tibi non parcas. Enimvero frustra conamur humanis Te laudibus exornare, qui unum Te maiorem, vitae exemplum proposuisti, Deum. Idque adeo tua caelestis erga eum pietas confirmat, ut statim atque ad nos perveneras, luculentissimum et primum virtutis documentum ediderís: quum non longa navigationis incommoda, non nova urbis facies, non frequentia nobilitatis officia Te quicquam morata sunt, quin recta in regium Sacellum, ac pene solus concederes, et Deo Opt. Max. pro secundo appulsu vota singulari exsolveres castitate. Quantam porro Tui admirationem in animis omnium excitasti, et quam impensa studia quotidie in Te advertis, ubi Deum adis; et Sacris ades; quae dum fiunt, ad chri-

stianae humilitatis exemplar compositus ac venerabundus, non in terrena, ut magnifica, ut cospicua aciem dirigis oculorum, sed unum Deum contemplaris: non alia dicis, quam bona verba. Itaque gravius per Te, quam per Sacerdotum quemlibet, vel Pontificum, Deum edocti sumus: cum a Te regum maximo tanta cultum religione videamus. Unde enim id emanat, nisi quia proxime Deo accedis, optime noscis, et quantum noscis, tantum etiam veneraris? O pietas aeternis laudibus decoranda! quot ex te aliae, quantaeque nostri Principis virtutes veluti rivi ex sacro fontis capite derivantur! hinc illa incredibilis temperantia, clementia admirabilis, praedicanda facilitas, invicta animi celsitas, justitia singularis. Nonne dignum immortali gloria deputemus, quem pro Italiae salute, ac tranquillitate suo ductu, imperioque decertaturum, connubii adhuc fumantes taedae aetate florentem, LUDOVICAE MARIAE novae nuptae amantissimum, a praeclarissimo incoepto attinere nequiverant? Quanta istic claret tua Reipublicae diligentia, PHILIPPE, qui prius pace Regnum, deinde sobole Regiam fundare studeas? quod animi in cupiditates imperium eminet? Id certe rationis regnum homines agitarent, nisi eam vitium labefactasset originis; et tum liberis darent operam, cum sit opus. Sed neque id unum est tuae incredibilis temperantiae, neque primum exemplum. Nam quotidie tuis adsumus prandiis, tuasque spectamus

coenas, unde quis enarret, quam bona virtutis fruge expleti discedimus? non enim longa ferculorum pompa, non machinosae epularum struices in oculorum fastum oruantur; non fracta symphonia personat; non parasitorum scommata, non scurrarum dicacitates aures irritant; sed regia ciborum frugalitas ditat mensas, modestum silentium exhilarat: neque discinctus, aut soleatus accumbis, sed juxta ac iu aciem descensurus. Tu Tibi structor, Tu Tibi carptor non in multum diei, noctisve Te invitas, sed per brevissimum temporis spatium innutriris: O aurei seculi prandia o heroicorum temporum coenae! in quibus non quam multum voluptati, sed quam parum naturae satis sit, satisfiat: et inter regias, nedum liberales mensas victus magis capiatur, quam cibus. Nam ille Bacchi modus quam admirandus? quem puri fontis latices, ac ne hi quidem ipsi refrigerati (moribus alioqui probatae deliciae) perdunt magis quam temperant! Vos huc, vos, Viri Sapientes, accerso: suntne vestrae caenae cum his Regiis comparandae, ubi non argutulis verborum tricis, sed miris rerum exemplis vitae moderationem Potentissimus Regnator edoceat? Et tamen quid majus instat, quod Te ad mensam exhibet humana specie augustiorem, cum qui ad id virtutis spectaculum frequentissimi fere semper conveniunt, ita eorum oblecteris corona; ora, et vultus tanta oculorum diligentia et sedulitate intuearis; et in eo sensu

nisi totus, ita certe plurimus occuperis, ut nihil animi tui possit superare gustatum. O Principem modestissimum, qui epulas non sumptuositate, sed Tui publicitate magnificentissimas exhibes! O vita scilicet Regia, quae in conspectu agitur populorum! Itaque Tua victus temperantia haud minorem spectavimus somni, lectique modestiam. Te namque vidimus (futura aetas crede narrata, nam vidimus) meridiantem quiete magis, quam sopore; cubantem sopore magis, quam somno capi. Numpe id efficit moderatio ciborum? Sed nec venatio (quam belli effigiem saepe ludis proximus Imperator) labore, aut lassitudine somnum Tibi quicquam graviorem accersit. Quid igitur est, nisi ignea et vivax vis animi, ocii impotens, et ignara desidiae? Sed an aulaea distincta gemmis, pegmata in admirationem extructa, aurea fulcra in leones, aut aquilas conformata, pulvinaria ex peregrinarum avium infarcita pennis, et quae alia naturae infirmitates fecere delicias, Tibi lectum instruunt et adornant? O in summa potestate rerum admirabilem rerum modum! Cui Peruanum, Mexicanumque Regnum infinitam auri, argentique vim conflat ac ferit; cui Gangenticus sinus uniones ac gemmas profert; cui innumerae manus artes in tot regnis late florent ac vigent; eius quasi caelibis lectulum modestissimo cultu stratum vidimus mirabundi. Sed tantae, tamque mirae modestiae quantae item, et quam rarae

addunt se comites facilitas, et clementia! quando et illustri, et obscuro loco nati promiscui ad Te adeunt: preces fundunt permixti: indiscreti tuam potentem adorant manum: nec tenuiores proceribus fortunam invident; nec proceres tenuioribus impertitum dedignantur honorem: ita omnes incredibili tua exples benignitate. Cuique ad Te penetrare licet, dum velit: omnes tua Clementia admittit: Tua innocentis securitas submovet neminem. Non adeunti deductor quaerendus est: non commendator precanti: non deprecanti patronus. Quamobrem Aula ad Tui exemplum in summam humanitatem conformata, facilis, ita universis patet, ut Tibi, O REX CLEMENTISSIME, qui talem in Regno patriae curae similitudinem refers, ut merito Nationum Parentem appellare Te liceat. Atqui tuam istam tantam mansuetudinem, ut rara, ut praeclara invicta animi et ardua celsitas excipit, qua cuncta sublimia superas, omnia excedis excelsa! Quid? tuus ille mos gravissimus, ut nihil mireris humana; annon id est expressissimum, vultus Sapientiae lineamentum? O quam admirabilis in Te est nexus et catena virtutum! Nihil magnum, nihil novum, nihil insigne Te percellit, quod cuncta sublimi animo magnificentiora praeveneris. Sed nec ea, quae pro tua non sunt dignitate, forte fastidis, aut despicis: quin pro tuae magnitudinis modo, quae Te non digna sunt, soles tua dignatione

dignari. Quid si quod amplissimum es adeptus Imperium, infra Te putes? Nam quid aliud sibi volunt illa maris, quae subis pericula? illa navigationis, quae perfers incommoda? durum vitae, quod instituis, genus in castris? Certe non aliud evincunt, quam quod non tam pulchrum Tibi sit, in imperio vivere, quam pro imperii salute pati: et summae rerum praeesse, humanum; perturbationum regnum agitare, divinum putes. Sed quis par est, ut pro merito dicat, quanta insit in tuis rescriptis iustitia? in consiliis prudentia? in sermone gravitas? et quod maius est, in ipso aetatis flore consummatissima? O quam falsos experti sumus Philosophos, qui in iuventa solam virtutis indolem laudari posse existimarunt! Hominibus quidem vulgo sera virtus venit, ut quibus ex graviore luto natura finxit vehicula virtutis praecordia: Tibi vero, qui ab caelo ducis originem, ex purissimo mobilissimoque aethere conformavit: ita ut non tam annos praecoci sapientia praevertas, quam maturam virtutem velocissimo comiteris ingenio. O rerum gestarum scriptores, quae vobis praeclara, et ampla pacis, bellique argumenta PHILIPPUS processu aetatis praebebit, quem tot laudes ab viris virtute summis affectatissimae, ultro vixdum plene puberem anteveniunt! Hac igitur corona virtutum gemmis conserta caelestibus, hoc syrmate honestatis divini solis picto coloribus, priusquam regalibus ornatum

insignibus, Te nobis conspicuum demonstrasti: an id ut ostenderes, Te maximo Imperio fuisse dignum, antequam imperares? Nostra aetate minores ex hoc intelligite, posteri, quantum inter PHILIPPUM et CAROLUM V. aliosque nostros optimos Principes interfuerit: siquidem ii Urbem Neapolim non prius ingressi sunt, nisi instructa maiestate venerandi, ut principalis religio suis adderet virtutibus decus; Hic privatim adit, ut suis hominis virtutibus Principis augeat dignitatem. Ecquis sane referat hesternae diei candorem, lumen, laetitiam, qua regali per Urbem pompa REX AUGUSTISSIMUS equitasti? Praeteream aulaea auro, sericoque contexta ubique praetenta: sileam temporarios arcus pro Curiis magnificenter extructos: taceam titulos ingeniosissime Tibi inscriptos: missos faciam equos indole tum maxime generosa ditissime phaleratos: confertas puerorum et splendide instructas familias, militum acies, quacunque processurus eras, extenuatas. Quis enumeret Proceres, eorumque ornatus ad magnificentiae modum describat? quot Cives ex Regni municipiis, ac praefecturis confluxerint? quot viri Principes, ac Legati ab Italia convenerint? qui amplissimi Romani Principis Senatores candenti ostro nitentes coierint? honestissimas matronas gemmis, auroque graves, Magistratus, Pontifices, Sacerdotes quis unquam recenseat? Et in tanta hominum copia, virorum lumine, rerum splendore, in viis,

de aedium fenestris, de tectorum fastigiis Tu omnibus unus totum magnificentiae spectaculum in ea pompa exhibebas: et quacumque procedebas, ita omnium in Te unum advertebas obtutus, ut dicere non dubitem, eo die Te suis oculis Italiam gestavisse. Quae tum omina Tibi PIO FELICI AUGUSTO concepta! Quae vota Tibi hostes debellaturo nuncupata! Quas in laudes, quoque impetu laetitia simulationis ignara prorupit! ut illam tralatitiam *Regum Decus*, illam celebrem *Incrementum Regnorum*, usitatam illam *Catholicae Religionis Praesidium*, crebram illam, et maxime usurpatam *Universa Hilaritas* ex tuis missilibus desumptam audiveris.

Atque utinam Deus fecisset immortalis, ut mihi hic tanta vis dicendi suppeteret, tam uberes eloquentiae fontes erumperent, tanta copia superaret, ut quot quantisque beneficiis hanc Civitatem, hoc Regnum ornaris, auxeris, cumularis vel pressissimo stylo complecti possem. Qui principio adveniens illa Patriciorum ordini praeter spem, praeter fidem benefacta promulgasti, ut Neapolitani D. Iohannis Equites Neapolitanae classi Duces, ac Prefecti imponerentur: et Gadibus, Hispaniarum claustris, vir hinc Patricius praeesset ex ordine. Mox ut significares, quanti Nobilitatis faceres fidem, Neapolitanam equitum dudum scriptam legionem illo incredibili beneficio decorasti,

ut et iis Praetorii custodiam concrederes, et ipsis turmarum Ducibus Praefecti optionem remitteres. Hinc quo rusticae plebes, et multitudo urbana qui Te maximum colunt, Optimum etiam sentirent, uno edicto, plebi, populoque Neapolitano dimidium, quod pro frumento penditur, vectigal remittis: et universitates Civium tributorum reas, novis propositis tabulis, ingenti aere per totum Regnum universas absolvis. Nec tua beneficentia terris tantummodo terminatur, quin in Caelum etiam caput infèrit, qui Divo Ianuario, nostro maiorum gentium Indigeti universae Hispaniensis Monarchiae tutelam permittis, ac patrocinium: et mira rerum conversione beneficii collationem, in opis implorationem commutas. At enim quae Tua benignitas non finitur loco, ea nec tempore coërcetur: qui noxios criminum labe lustras, et innocentiae restituis: oboeratis solvendi diem amplias, et eorum integras fidem: cuncta legum beneficia a decessoribus collata Regibus sanctissime rata iubes: et universa ab hoc Regno constituto aliorum benefacta Tu una liberalitate complexus es. Itaque in nobis tuis beneficiis exornandis ipsam Regni maiestatem, si fas est dicere, profundere videaris: nam ut fortunae adversis occurras, leges relaxas: ut conscientiae labes deleas, fasces dissolvis: ut laetiorem agrorum facias cultum, Fiscum deminuis: ut domi abunde sint necessaria vitae, militare aerarium

attenuas : ut foris ad virtutem milites excitentur , iis Te ipsum donas. Itaque omnia Te Optimo plena. Terrae defatigatae iam, allevatis tributis, ab aratro quiescunt: et boves per prata palare seiugos, et sponte telluris luxuriare segetes sub umbra spectat desidiosus agricola. In tenui cuiusque lare, relaxata annona, pueri circum parentes cariores dant iocos, laetaeque Cereris dona ludunt. Tuo beneficio divincti noxii, innocentiorem induunt mentem: aere diruti, luxum exuunt, et desidiam: milites Tui custodia superbiunt: pagani tua magnificentia rem cumulant: sacra tua religione gaudent: Tui laetitia profana gestiunt: privatae rés tua praesentia instaurantur: tua auctoritate publicae confirmantur. Ecqua unquam via tuam in nos beneficentiam occludis? Tuo augusto spectaculo oculos recreas: tuis laudibus aures permulces: tua hilaritate corpora reficis: tuis exemplis ad virtutes excitas animos. Maiestatem huc intulisti, et Urbs augustior facta est : humanitatem, clementiam, probitatem ad nos importasti, et Civitas beatior evasit: delectatus es indole Civium, genorosior prodiit: Neapolim Te dignam putasti, et in Regiam Orbis terrarum abiit celeberrimam.

Qua igitur digna ratione tam expositae, tam obviae, tam honorificae beneficentiae, quantum est meritorum momentum, tantum possimus agere gratiarum? Certe in eo Te fastigio, PHILIPPE,

Deus Opt. Max. collocavit, ut referre grates, si fieri posset, id ipsum superbum sit, et ingratum. Sane id est tuae liberalitatis pretium, ut cum in quos eam conferas, semper apud eosdem solida, integraque sit gratia, eam Tibi agere iuxta sit, ac debere. Igitur quando gratiis referendis opes, agendis verba non suppetunt, saltim tantae beneficiorum moli par esset nobis vastitas animorum, ut possemus habendo concipere. Nihilo tamen minus si non ut decet, at uti licet, si non ex merito dignas, at pro officio veras agimus grates vobis, Sanctissimae leges, quae Hispanicum ita fundastis Imperium, ut Regnorum successionem natura dirigeretis: grates Tibi, recepta Caelo mens, CAROLE II., qui tuo supremo elogio quem regnorum iura ad successionem vocabant, eum tua designatione accersisti: grates tuae faecunditati, iam inter sydera allecta Maria Anna Christina, quae et Hispanico, et Gallico Imperio Regni subsidia parasti: grates Tibi, Ludovice Magne, qui Philippum agnoscere successionem volueris illo universo terrarum Orbi salutari iussu, quo indoles visus es commutasse virtutum: et cum maximam Borbonio Domino Monarchiam quaesivisti, tum maximum dedisti moderationis exemplum: grates denique Tibi, Regum dator, Deus Opt. Max. qui ita Regnorum vices ab anteacta temporum aeternitate regis ac temperas, ut hodie per Te Philippus regnaret.

Dedisti Regem; regno, omnium salus, conserva: parasti Regnum Regi; fortuna bellorum aspira: Maximum Imperium servasti, Optimum Regem legisti; aeternitatis Parens aeterna.

AN. MDCCII.

JOH. BAPTISTAE VICI

DE NOSTRI TEMPORIS

Studiorum Ratione

ORATIO IV.

AD LITTERARUM STUDIOSAM IUVENTUTEM

In R. Neap. Academia habita, et deinde aucta.

CAROLO AVSTRIO

III. EIVS NOMINIS

HISPANIARVM ET NEAPOLIS

POTENTISSIMO REGI

QVOD

SERIE MAXIMARVM RERVM

TERRA MARIQ. GESTARVM

REGNVM NEAPOLITANVM RECIPERARIT

CVIVS

AVSTRII PRINCIPES

EAM ESSE FORMAM VOLVERVNT

VT SAPIENTIAE STVDIIS

ET IN HAC CIVITATE

ET IN VNIVERSA MONARCHIA

HONORES MAXIMI AMPLISSIMIQVE

PATERENT

REGIA HVIVS REGNI ACADEMIA

STVDIORVM INAVSPICATIONEM

CIRCVMAGENTIS ANNI MDCCVIII

GRATI ANIMI ET OBSEQVII ERGO D.

AD VINCENTIUM GRIMANUM

S. R. E. CARD. AMPLISS.

Regni Neapolitani

PRO CAROLO AUSTRIO

MODERATOREM.

Quum sacri iuris sit, Vincenti Grimane Card. ampliss., res haud consecratas haberi, quæ non sunt rite per Pontifices dedicatae: quumque Regia haec Regni Neap. Academia Studiorum huius anni inauspicationem CAROLO III. AUSTRIO Hispaniarum, nostroque potentissimo Regi vovisset; et religio esset, tanquam profanos adire Principem, qui et sua Regis vi sacer, et Regiarum virtutum, quae eum exornant, divinis prope honoribus dignus est; diligentissimis tecum precibus egit, ut qui cum nostra omnium felicitate in hoc Regno moderando tanti Regis sacra, iustitiam, fidem, concordiamque tueris; tua praesentia et auctoritate hoc votum suum quamsolemnissime exolveret. Existimasti tuum haec castissima sapientiae desideria rata facere; quando in ea Rep. natus es, quae sapientissimis institutis fundata, cum

omnes Orbis Terrarum omnis memoriae Resp. aequabili statu imperii devicisset, temporum aeternitati videtur condita: iis maioribus ortus, qui talem tantamque Remp. sapientissimis consiliis domi, militiaeque illustrarunt: ea demum sapientia praeditus, ut tua unius mens ingentes valeat exercitus, quo debita CAROLO regna paret; universos Senatus, quo parta conservet. Esset modo, ut tibi tantae dignationis gratias cum tuis laudibus admixtas ageremus; sed grates dignae tua ipsius aeterna sunt benefacta: et tunc te pro dignitate laudari existimas, cum quisque nostrum, te moderatore, suum sedulo obeat munus. Itaque quando per tuam sapientiam licet, ad hos sapientiae novitios Orationem convertam.

JOH. BAPTISTAE VICI

DE NOSTRI TEMPORIS

Studiorum Ratione

ORATIO IV.

Franciscus Baco in aureo *de Augumentis Scientiarum* libello novas artes, scientiasque, praeter quas hactenus habemus, et quas habemus, quatenus oporteret, perduci, indicat, ut humana Sapientia omnino perficeretur. Sed dum *novum Scientiarum* retegit *Orbem*, novo magis, quam nostro Terrarum Orbe se dignum probat. Etenim eius vasta desideria adeo humanam industriam exsuperant, ut potius quid nobis ad absolutissimam Sapientiam necessario desit, quam quod suppleri possit, ostendisse videatur. Idque puto factum, ut solet, quod qui summa tenent, ingentia, atque infinita desiderent. Itaque talis in re literaria *Verulamius* egit, quales in rebus publicis maximorum potentes Imperiorum, qui summam in humanum genus potentiam adepti, ingentes suas opes in ipsa rerum natura vexanda profundentes, et sternere saxis maria, velificare montes, aliaque per

naturam vetita frustra tamen conati sunt. Enimvero omne, quod homini scire datur, ut et ipse homo, finitum, et imperfectum. Quod si nostra cum antiquis tempora comparemus, reique litterariae utrinque pensemus utilitates, et damna; eadem nobis ratio cum priscis fortasse constiterit. Multa enim nobis detecta, antiquis penitus ignorata: et multa antiquis gnara, nobis prorsus incognita: complures nobis sunt facultates, ut in alio literarum genere proficiamus; complures illis, ut in alio, fuere: illi toti in aliquibus artibus excolendis; quas nos fere negligimus; nos in quibusdam, quas illi plane contempserunt: multae illis commode unitae doctrinae, quas nos discerpsimus; et aliquot nobis, quas illi incommode divisas tractarunt: tandem non paucae duntaxat speciem mutarunt, et nomen. Quae mihi res argumentum apud vos, Ingenui adolescentes, disserendum praebuerunt: *Utra studiorum ratio rectior, meliorque; nostrane, an antiquorum?* in quo edissertando commoda, incommodaque utriusque ad exemplum conferemus: et quae nostra incommoda vitari, et qua ratione possint: quae autem non possint, cum quibus antiquorum incommodis compensentur. Res nova est, ni fallor; sed tam scitu necessaria, ut mirum, quod nova sit. Invidiam declinaverim, si me non tam nostra, vel antiquorum incommoda reprehendere, quam utriusque aetatis commoda

componere velle existimetis. Vestra caussa est: ne si plus quam antiqui aliis in partibus scitis, aliis minus sciatis: sed habeatis rationem, qua plus quam antiqui in ipsa summa scire possitis: et quae nostrae studiorum rationis incommoda vitari non possunt, incommodorum antiquae memores aequo animo perferatis.

Et quo rem facilius intelligere totam possitis, illud internoscatis oportet; me non heic scientias scientiis, artesque artibus nostras, et antiquorum comparare: sed quid nostra studiorum ratio antiquam vincit; ecquid ab ea vincitnr, et quo pacto, ne vincatur, disserere. Quare novae artes, scientiaeque, et nova inventa a novis sciendi instrumentis, adiumentisque, si non separanda, distinguenda sunt tamen: illa namque studiorum materies est; haec via, et ratio, proprium nostrae orationis argumentum.

Studiorum enim ratio tribus omnino rebus omnis contineri videtur; instrumentis, adiumentis, et fine. Instrnmenta enim ordinem complectuntur: nam qui instructus ad aliquam artem, scientiamque addiscendam accedit; rite, et ordine accedit. Instrnmenta autem praeeunt: adiumenta comitantur: finis vero, quamquam sequitur, ad eum tamen studiosi et a principio, et per omnem studiorum rationem spectare debent. Pro hoc item ordine nostram orationem dispensemus, ut primo de instrumentis, tum de adiumentis nostrae studiorum

Rationis disseramus. De Fine autem, quia per eam, uti sanguis per totum corpus, diffunditur; quemadmodum sanguinis motus, ubi sensibiliores arteriae sunt, observatur; ita, inquam, de nostrae Studiorum Rationis Fine, ubi is magis emineat, disputabimus.

Nova autem Scientiarum Instrumenta alia et ipsa scientiae sunt, alia artes, alia mera artis opera, vel Naturae. Omnium scientiarum, artiumque commune Instrumentum est nova Critica; Geometriae Analysis; Physicae haec ipsa Geometria, eiusque Methodus, ex nova fortasse Mechanica: Medicinae Instrumentum est Chemica, et ex ea nata Spargirica; Anatomiae Microscopium; Telescopium Astronomiae; Geographiae denique Polaris lapidis urna. In novis autem Adiumentis enumero Artes de compluribus rerum argumentis, quae antiquitus prudentiae committebantur, redactas; optimorum Copiam exemplorum, Typos litterarios, et studiorum Universitates constitutas. Finis autem omnium studiorum unus hodie spectatur, unus colitur, unus ab omnibus celebratur, Veritas. Quarum rerum omnium sive facilitatem, sive utilitatem, dignitatemque spectetis; nostra Studiorum Ratio omni procul dubio antiqua rectior esse, meliorque videatur.

Etenim Critica id nobis dat primum verum, de quo, vel cum dubitas, certus fias; et quo

omnem prorsus Academiam novam profligasse existimatur. Analysis autem mira methodi facilitate problemata goemetrica antiquis insoluta dissolvit. Et antiqui goemetria, et mechanica, tanquam physicae instrumentis usi sunt; non perpetuo tamen: nostri iisdem et perpetuo, et melioribus. Nam geometriam analysi explicatiorem, et mechanicam (novamne, nostrae disputationis non est) novis certe, et ingeniosissimis inventis auctam adhibent Duces: et, ne ab iis unquam in tenebricoso Naturae itinere deserantur, methodum geometricam in physicam importarunt, qua veluti Ariadneo aliquo filo alligati, institutum peragunt iter: et caussas, quibus haec admirabilis Mundi machina a Deo Opt. Max. constructa est, non iam tentabundi physici, sed velut immensi alicuius operis architecti describunt. Chemica antiquis prorsus incognita, quibus adiumentis instruit Medicinam? quae chemicorum phaenomenon similitudine apposita, quamplurimas humani corporis functiones, et morbos nedum coniicit, oculis plane cernit. Certe Spargirica, eius soboles, desiderabatur antiquis: nos eorum voti compotes facti sumus. Et Chemica a quibusdam in Physicam invecta est: uti et a quibusdam Mechanica in Medicinam. Et Chemico-physica nonnulla meteora, aliaque Naturae opera manu pene facit: Mechanica autem Medicina per machinae momenta humani corporis de-

scribit morbos, et curat. At Anatome praeter sanguinis circumitum, nervorum originem, et innumeros succos, vasa, ductusque humani corporis, per quae iam praestabat antiquae; microscopii praesidio glandium miliarium, minutorumque viscerum, plantarum, bombicis, insectorumque, et praecipue ad generationem planissime perspiciendam, ovi incubati descriptionem; quae omnia antiquorum oculos effugerunt, luculenter illustrat. Et Astronomia, telescopio adiuta, nova sydera, multas Solis, easque variantes maculas, et erronum phases observat: quae res detectae complura Ptolemaici de Universo systematis vitia detexerunt. Antiqui ultra Oceanum alias esse terras tamquam vates per incerta divinabant; nos vero nauticae urnae usu reteximus: et geographi mirum quantum illustrarunt! Quis credat, homines hodie non solum cum Sole universum Terrarum Orbem ambire, sed ultra Solis vias egredi posse, minori temporis spatio, quam quo Sol ipse intra eas suum conficiat cursum! A Geometria, et Physica, qua methodo hodie docentur, aucta Mechanica, quot, quantis, et quam miris inventis humanam auxisse Societatem videtur. Certe ex iis nostri temporis Bellicam natam dixeris: quae tantum antiquos est praetergressa, ut prae nostra muniendarum expugnandarumque urbium ratione, Minerva suam Athenarum contemneret arcem; et trisulcum ful-

men Iupiter obtusum brutumque increparet. Tanta sunt nostra scientiarum instrumenta: quanta nunc studiorum adiumenta videamus. De multis enim rerum argumentis, quae olim uni prudentiae relinquebantur, artes redactae sunt: quod in specie de Iurisprudentia opus antiqui efficere difficultate deterriti desperarunt. Praeterea in re Poëtica, Oratoria, Pictura, Sculptura, aliisque artibus, quae imitatione constant, ingenti optimorum copia exemplorum abundamus; quibus nostri commonefacti et rectius, et facilius ipsam possunt optimam imitari Naturam. Atque adeo typorum beneficio omnia libris scatent: quare apud nostros tam multi sunt non unum, et item alterum scriptorem docti; sed multa, varia, ac pene infinita lectione eruditi. Denique Universitates studiorum institutas habemus, omnique scientiarum, et artium genere instructas, quibus hominum mens, animus, et lingua perficiatur. Atque in his ferme omnibus litterarum studiis ad unum hodie spectatur finem, veritatem: quam si laudare instituam, illa dignus sim admiratione: quis umquam vituperavit!

Haec nostrae Studiorum rationis commoda ad examen revocemus: et an ullis expertia bonis, quae antiquis erant, vel malis admixta, quae non erant, videamus: et an nostrae mala vitare, et antiquae bona quoque consequi, et quo pacto

possimus: quae autem non possimus, cum quibus antiquae malis pensentur, disseramus.

Et principio, quod ad Scientiarum attinet instrumenta, a Critica hodie studia inauguramur: quae, quo suum primum verum ab omni, non solum falso, sed falsi quoque suspicione expurget; vera secunda, et verisimilia omnia, aeque ac falsa mente exigi iubet. Incommode quidem: nam adolescentibus quamprimum sensus communis est conformandus; ne in vita agenda aetate firmati in mira erumpant, et insolentia. Ut autem scientia a veris oritur, error a falsis; ita a verisimilibus gignitur sensus communis. Verisimilia namque vera inter et falsa sunt quasi media: ut quae fere plerumque vera, perraro falsa. Itaque cum maxime adolescentibus sensus communis educi deberet, verendum ne iis nostra Critica praefocetur. Praeterea sensus communis, ut omnis prudentiae, ita eloquentiae regula est: nam saepe Oratores magis caussa laborant vera, quae nihil verisimile habeat, quam falsa, quae credibili ductu constet. Quare periculum subest, ne nostra Critica adolescentes reddat eloquentiae ineptiores. Denique nostri Critici ante, extra, supra omnes corporum imagines suum primum elocant verum. Sed id adolescentibus immature, atque acerbe praecipiunt. Nam ut senectus ratione, ita adolescentia phantasia pollet: neque sane pueris, quae beatissimum futurae indolis specimen sem-

per habita est, excaecari ullo modo oportet. Et memoriam, quae cum phantasia, nisi eadem, certe pene eadem est, in pueris, qui nulla alia mentis facultate praestant, excoli impense necesse est: neque ingenia ad artes, quae phantasia, vel memoria, vel utraque valent, ut Pictura, Poëtica, Oratoria, Iurisprudentia, quidquam sunt hebetanda: neque Critica, quae omnium artium, scientiarumque instrumentum nostris commune est, ulli debet esse impedimento. Haec incommoda declinabant antiqui, quibus Geometria ferme omnibus erat Logica puerorum. Nam Medicos imitati, qui, quo Natura vergit, incumbunt; scientiam iis, quae sine acri imagines conformandi vi recte percipi potest, tradebant; ut nulla vi naturae facta, sed sensim, et placide pro aetatis ingenio consuefierent rationi. Deinde sola hodie Critica celebratur, Topica nedum non praemissa, sed omnino posthabita. Incommode iterum: nam ut argumentorum inventio prior Natura est, quam de eorum veritate diiudicatio; ita Topica prior Critica debet esse doctrina. At enim eam nostri facessunt, et nullius usus putant: nam sat est, inquiunt, homines modo critici sint, rem doceri; ut quid in ea veri inest inveniant: et quae circumstant verisimilia, eadem ipsa veri regula nullam Topicam docti vident. Sed qui certi esse possunt vidisse omnia? unde illa summa, et rara orationis virtus existit, qaae plena dici-

tur, quae nihil intactum, nihil non in medium adductum, nihil auditoribus desiderandum relinquit. Natura enim incerta est, et praecipuus, imo unus artium finis, ut nos certos reddat, recte fecisse: et Critica est ars verae orationis; Topica autem copiosae. Deinde in Topica, sive medii inveniendi doctrina exerciti (medium scholastici dicunt, quod latini argumentum appellant) cum iam norint omnes argumentorum locos in disserendo, ut scribendi elementa, percurrere; iam facultatem habent ex tempore videndi, quidquid in quaque caussa insit persuadibile. Qui vero eam facultatem adepti non sunt, Oratoris nomen vix merent: quorum munus id est praecipuum, ut in rebus fervidis, quae cunctationem vel comperendinationem non patiuntur; ut in nostro Foro, in caussis, quae crimine constant, et vere oratoriae sunt, saepissime usuvenit; reis, quibus paucae horae ad dicendam caussam sunt praestitutae, praesentem opem afferre possint. At nostri Critici, cum quid dubii iis oblatum est, illud respondent: ista de re sine, cogitem. Ad haec, tota eloquentiae res nobis cum auditoribus est: et pro eorum opinionibus nos nostrae orationi moderari debemus; et natura ita comparatum est, ut saepe qui pollentissimis rationibus non moventur, iidem aliquo levi argumento de sententia deiiciantur. Quare, ut orator omnium animos pertigisse certus sit, omnes argumentorum locos

percurrisse necesse est. Quapropter non recte notant, Ciceronem multa levia dixisse: nam et levibus illis in foro, in senatu, et potissimum in concione regnavit: et Orator extitit Imperii Romani maiestate dignissimus. Quid illud, quod in quibus caussis haerebit orator, qui unum verum curat, in iisdem sese expediet, qui verisimilia praeterea consectatur? M. Brutus hac nostra, aut ferme nostra critica instructus (Stoicus enim erat) Milonem deprecativo statu defendendum putabat; eumque contendere absolvi oportere, cum ob eius maxima in Rempublicam merita, tum quod pessimam de ea pestem, Clodium sustulisset. At Cicero in Topica versatus, intutum existimavit, talem reum eo rerum statu iudicum clementiae committere; et coniectura eam caussam duxit: quam si egisset, Milo certe, ut ipsemet profitebatur, eo iudicio evasisset absolutus. Atqui Arnoldus, vir usquequaque doctissimus, eam contemnit, et nullius frugis existimat. Utri credendum, Arnoldone, qui negat; an Ciceroni; qui se a Topica potissimum eloquentem factum affirmat et profitetur; aliorum esto iudicium: nos autem, ut ne quod alteri donemus, alteri rapiamus, dicimus, ut Critica veraces, ita Topica nos fieri copiosos, quod quemadmodum olim Stoici in Critica, Academici in Topica arte toti fuere; ita hodie ratio disserendi Stoicorum arida, et deducta apud recentiores, varia autem et multiplex

Academicorum apud Aristotelicos in usu est: quodque a Pico Mirandulano propositum doctissimus quis recentior uno sorite perstringeret, Caietanus centum numero syllogismis oppugnat. Et perpetuo animadvertere licet, antiquas Philosophorum sectas, quo longius ab hac Critica recesserunt, eo copiosiores fuisse. Stoici, quibus aeque ac nostris mentem veri regulam esse placuit, omnium maxime minuti, et exiles. Epicurei, qui sensum esse voluerunt, puri, et aliquanto amplius explicati. At Academici antiqui, Socratem secuti, qui nihil se scire, praeterquam nescire affirmabant, abundantes, et ornatissimi. Academici vero novi, qui hoc ipsum nescire se nescire profitebantur, torrentium more exundabant, et nivis ritu spissi. Et Stoici, atque Epicurei unam dumtaxat disputationis partem propugnabant. Plato in alterutram, quae verisimilior videretur, inclinare: Carneades autem utrumque complectebatur oppositum; et uno die iustitiam esse, altero non esse aequis rerum momentis, et incredibili disserendi vi disputabat. Atque haec omnia inde orta, quia verum unum, verisimilia multa, falsa infinita. Quare utraque disserendi ratio vitiosa, Topicorum, quia saepe falsa arripiunt; Criticorum, quia verisimilia quoque non assumunt. Igitur ut utrumque vitetur vitium, existimem, adoloscentes scientias, artesque omnes integro iudicio doceri, quo Topicae ditent locos: ac interea sensu communi

ad prudentiam, et eloquentiam invalescant; phantasia, et memoria ad artes, quae iis praestant mentis facultatibus, confirmentur: deinde discere Criticam: tum de integro de iis, quae edocti sunt suo ipsorum iudicio iudicent; et in iisdem in utramque partem disserendis sese exerceant. Ita namque evaderent in scientiis veri, ad rerum prudentiam sollertes, ad eloquentiam copiosi, ad poësim, picturamve phantastici, ad Iurisprudentiam memoriosi: et cautum praeterea esset, ne fierent temerarii, ut qui de rebus inter discendum disputant; neve prave religiosi, ut qui nihil nisi a Doctore dictatum verum putant. Qua mihi in re antiqui nobis praestare videntur: Pythagorei namque universum silebant quinquennium: per quod tempus audita solo Doctoris testimonio, *ipse dixit*, propugnabant: et generatim Tyronum philosophiae proprium munus erat audire: unde proprio vocabulo dicebantur, *Auditores*. Atque hanc studiorum rationem Arnoldus ipse, quamquam verbis negat, re tamen ipsa mihi confirmat, et profitetur: qui abditissimis cuiusvis generis disciplinarum exemplis suam Logicam refercit: quae nisi artes, scientiaeque, unde depromuntur, antea perceptae sint, sine summa eloquentia, et labore summo praeceptoris, intelligi ab auditore aliquo pacto vix possunt. Itaque si Logica postrema discatur, praeter quae supra memoravimus, haec etiam vitantur incommoda;

nempe et quod fert Arnoldus, qui, ut exempla utilia afferat, vix intelligitur, et quod ferunt Aristotelici, quorum exempla, ut intelligantur, inutilissima sunt.

Methodus autem geometrica in Physicam a nostris inducta videndum, ne illud incommodum secum importet; quod cum ex ea nihil negare possis, nisi caput ipsum aggrediaris, horum alterum fieri necesse sit, aut Physicam huiusmodi dediscere, ut mentem ad Universi contemplationem adiungas; aut, si eam profiteri velis, nihil restare, nisi eamdem nova aliqua methodo disponas; aut aliquod novum phaenomenon explices, tamquam eiusdem Physicae corollarium. Itaque recentiores physici eorum similes esse videntur, quibus aedes a parentibus relictae sunt, ubi nihil ad magnificentiam, et usum desideretur, ut iis tantum amplam suppellectilem mutare loco, aut aliquo tenui opere ad seculi morem exornare relinquatur. At inquiunt docti homines, hanc eamdem Physicam, qua ipsi methodo docent, ipsam esse Naturam: et quoquo te ad Universi contemplationem convertas, hanc Physicam intueri. Quare gratias agendas auctoribus putant, qui nos tanto negotio Naturae ultra contemplandae liberarunt: et has aedes amplissimas, instructissimasque reliquerunt. Quando ita se habere Naturam necesse est, agant quammaximas: sed si ea aliter sit comparata; si una de motu regula

falsa sit; ut ne dicam non unam tantum iam falsi compertam esse; videant, etiam atque etiam videant, ne non tuto iam Naturae securi agant: et dum aedium fastigia curant, fundamenta cum periculo negligant. Ah ne fallamus, neque fallamur, Auditores: istas methodos, sive soritas istos, ut in geometricis verissimae demonstrandi viae, et rationes sunt, ita, ubi res demonstrationem non patitur, tamquam vitiosum captiosumque argumentandi genus priscae philosophorum sectae Stoicis, qui eo disserendi telo utebantur, objectabant. Et Chrysippi logicam, ut insidiosissimam antiquos reformidasse, etiamnum fama constat. Quare ista Physicae, quae vi methodi geometricae ostenduntur vera, nonnisi verisimilia sunt: et a geometria methodum quidem habent, non demonstrationem: geometrica demonstramus, quia facimus: si physica demonstrare possemus, faceremus. In uno enim Deo Opt. Max. sunt verae rerum formae, quibus earumdem est conformata natura. Demus igitur Physicae operam, ut philosophi, nempe ut animum componamus: et in eo praestemus antiquis, quod illi haec studia excolebant, ut impie cum Diis de felicitate contenderent; nos autem, ut humanos spiritus deprimamus: iis quidem vestigemus verum, cuius sumus tantopere studiosi: sed ubi non invenimus, hoc ipsum veri desiderium nos ad Deum Opt. Max. qui unus via, et veritas est, manuducat. Deinde geometrica me-

thodus physicas dissertationes, iuxta ac geometricas apodixes, tamquam contentas doceri tantum, ornari vetat. Itaque recentiores physicos omnes genere disserendi contento, ac severo uti animadvertas: cumque haec physica, et cum discitur, et quum percepta est, perpetuo ex proximis proxima inferat; eam auditoribus facultatem occludit, quae philosophorum propria est, ut in rebus longe dissitis, ac diversis similes videant rationes: quod omnis acute ornateque dicendi formae fons et caput existimatur. Neque enim tenue idem est, atque acutum: tenue enim una linea, acutum duabus constat. In acutis autem dictis principem obtinet locum metaphora, quae est omnis ornatae orationis maxime insigne decus, et luculentissimum ornamentum. Sed et alia de caussa ad id disserendi genus consuefacti, ii ad Eloquentiam sunt minus idonei. Eloquentia enim imperitae multitudini est potissimum comparata: et rudes homines longas istas rationum catenas, maxime ubi

.... *volat irrevocabile verbum*,

difficillime tenent: et ut teneant, tanta animorum contentione fatigandi non sunt. Quapropter illa libera, et ampla dicendi forma apud eos uti necesse est, qua Orator modo probet, modo divertat, modo ad propositum redeat: et quod rudius dixit, expoliat; quod brevius, amplificet; quod levius, asseveret: et in eadem re aliis,

atque aliis orationis figuris immoretur, ut eam quam altissime animo impressam auditor afferat domum. Denique physici suas methodos a primis veris ordiuntur. At quae in confesso apud omnes sunt, bonus orator praeterit: et secunda vera eloquendo, de primis auditores tacitus admonet: ut quas ipse argumentationes re vera conficit, eas auditores conficere sibi videantur. Atque ea ratione prius mentes movet, ut porro commoveat animos. Quod in caussa eius est, ut unam vel pulcherrimam formam non omnes probent; omnes autem uno oratore optimo delectentur. Haec methodi geometricae in physicas dissertationes inductae incommoda qua ratione vitentur, et supra, ubi de declinandis Criticae incommodis verba fecimus, aliqua dicta sunt, et reliqua paullo inferius dicemus.

De Analysi vero, ut illud fatendum, quod ad quae Geometriae aenigmata doctissimi antiquorum Davi erant; eius methodi facilitate nostri Oedipi facti sunt: ita hoc ipso quod facilitas dissoluat, difficultas vero acuat ingenia; subsistendum in eo, an novissima mechanicae inventa ei quidquam sint accepta referenda. Nam nova invenire unius ingenii virtus est: ingenium vero geometria exercet. Ea enim, ut equorum agitatores, acres equos aliquantisper refrenant, quo fugam celeriorem effundant; ita cohibet ingenia dum discitur; quo, dum ad usum revocetur, peracuat. Nam ingentem

formarum vim iis obiicit, ut mira menti celeritate tamquam scribendi elementa percurrant; eaque legant, atque componant, quibus proposita dissolvant problemata. Analysis autem, ut

....Phoebi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum;

ita suas rationes subducit, expectans, an forte sibi dentur, quas quaerit aequationes. Deinde Archimedem in Syracusarum obsidione miras belli machinas excogitasse memoriae proditum est. Heic respondent, Archimedem eam nosse, et invidia dissimulasse. Sed qui haec dicunt, nescio an id dicant, quo hoc suum litterarum reipublicae emissum donum, quod re ipsa magnum est, verbis magis adornent. Nam certe a nostris inventa, quibus potissimum longe praestamus antiquis, aeneum ignitae pilae tormentum, navis unis instructa velis, horologium, et pensilia hemisphaeria templorum ante omnem vulgatam analysim prodiere. Et de horologio quidem nemo est, qui tanta ex fide antiquorum susceperit patrocinium, quin eos a nostris longe ingenio victos esse fateatur. Illae autem vel sexdecim remorum ordinibus constructae antiquorum naves magnificentiam potius nauticae ostentabant: at nostrae unis instructae velis vim ipsam tenent. Neque nihil diceret, qui novum Terrarum Orbem antiquis non tam nauticae urnae inopia, quam quod

eorum naves Oceani impotentes essent, incognitum fuisse affirmaret. Idemque iudicium de ingenti illa Demetrii Poliorcetis Halepoli, aliisque bellicis antiquorum machinis, quod de eorumdem navibus, fieri potest. Et Memphytica, aliaque antiquitatis miracula magis eorum potentiae, quam artis opera, qua nobis quidquam praestarent, contendere audacter possis. At hemisphaeria templorum pensilia antequam extruerentur, Architectura ipsa extrui posse denegabat. Quot enim aerumnas Philippus Brunelleschius, qui Florentiae omnium primus in Templo Divae Mariae Florum dictae audax incoepit, perfecitque facinus, a sui temporis architectis pertulit, contendentibus, numquam fieri posse, ut super quatuor pendentibus punctis tantillum, nedum ingens aedificii moles in immensum pertinentis educeretur? Quid, si qui nova, ac mira post Analysim editam in mechanica excogitarunt, eam plane contempserint? et qui una Analysi freti aliquod opus invenire conati sunt, id iis haudquaquam successerit? P. Perotus pro analyticis regulis navim omni commensu construxit, sperans eam omnium agilissimam fore: in mare deducta, in scopulum conversa est. An id eo fiat, quia ut acroamata ad mathesim exacta non delectant; ita machinae ad Analysim sunt inutiles; nostrae disputationis non est. Sed illud ambigere per haec, quae diximus, licet, qui novissime mechanicam adau-

xerunt, ne non id ipsa geometriae vi, et sua ingeniorum felicitate magis, quam ulla Analysis ope praestiterint. Quare ut ingenia ad mechanicam excolantur, cauto opus est, ne per species, quas dicunt, sed per formas in mathesi adolescentes instituantur: et quando Analysis ars divinandi quaedam videtur; ad eam, tamquam ad machinam confugiamus:

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

In re autem Medica illa subsunt incommoda; quod cum morborum caussas nos satis certo scire putemus; parum attendamus signa, facessamus ferme iudicia, quibus rebus, cum antiqui nostris praecellerent, eorum via, et ratio medendi erat procul dubio certior. Cum enim fortasse iis caussae satis occultae, incertaeque viderentur, de eo dumtaxat erant usque ad religionem solliciti, et curiosi, quod unum in se recipere, et longa observatione freti praestare poterant; ex signis non tam de morborum caussis, quam de gravitate, et progressu ad certum curationis ductum iudicare. Qua in re corporis, animique morbi aptissime sibi respondent, et congruunt. Aulici non solum irae naturam, sed saepe etiam caussas, quibus Princeps irascatur, ignorant: et tamen usu docti praesentiscunt, quam mox in iram erumpat, ne adversentur; quo irae gradu, ne incendant magis; quando ira defervescat, ut deprecando ad cle-

mentiam reducant: quando restincta omnino sit, ut molles aditus tentent. Igitur quando hodie illud in ore Medicorum omnium celebratur: Cunctemur, et, quo aegra natura evadat, opperiamur: antiqui rati corporis salutem, ut bona cetera, facilius conservari, quam corruptam restitui; ad illa sedulo attendebant, quid futuri morbi natura valens innueret, quo provideri, et vitari posset. Quae erat illa Tiberii Caes. Medicina Ars, quam omnes, ut trigesimum aetatis annum attingerent, novisse oportere existimabat: eaque una sapientissimi Romani tot, quot omnes norunt, seculis usi sunt. Neque sane ulli natura cuiusquam sua insidiosa est: cum tanta fide, et diligentia cuiusque tutelam gerat. Semper enim antequam in morbum corruat, aliquo futuram ruinam signo portendit: nos vero, qui ad eam in nobis attendendi artem negligimus, animum non advertimus; ut dicere audeam; cum nihil repente maximum fiat, vel repentina morte sublatum neminem. Haec rei medicae incommoda ut vitentur, eorum caussas iam levius indicatas apertius demonstremus. Hodie ab uno aliquo explorato vero nostras de physicis argumentis dissertationes deducimus: signa vero, et iudicia verisimilia sunt, quae longa observatione colliguntur. Quare ut Galenicos non recte morborum caussas syllogismo coniicere Verulamius notabat; ita ego recentiores non recte id ipsum Sorite praestare dixerim. Nam ut qui syllogismo

contendit, nihil novi affert, quia in propositione, vel assumptione complexio continetur; ita qui Sorite confirmat, nihil aliud facit, quam explicat verum secundum, quod in primo latebat involutum. Atqui morbi semper novi sunt, et alii; ut semper alii sunt aegrotantes. Neque enim ego idem nunc sum, qui modo fui, dum aegrotantes proloquerer: innumera namque temporis momenta iam aetatis meae praeterierunt; et innumeri motus, quibus ad summum diem impellor, iam facti sunt. Atque indidem, cum, in quoque, ut ita dicam, genere (nam verum genus species omnes complectitur) morbi sint infiniti; una forma omnes finiri non possunt. Cumque haec ita sint, uti syllogismo, cuius amplior pars genere constat, et hae res vero genere non continentur; ita et Sorite nihil quidquam veri de iisdem rebus conficere possumus. Quare tutius consilium, ut particularia consectemur, et Sorite, non supra eius in hac re meritum, utamur quidem; sed potissimum, insistamus Inductione: caussas cum Recentioribus, quia explicatiores sunt, explicemus; magni tamen signa, et judicia faciamus: et Conservatricem antiquorum, sub qua Exercitatricem, et Dietariam comprehendo, aeque ac nostram Curatricem excolamus.

Sed illud incommodum nostrae studiorum rationis maximum est, quod, cum naturalibus doctrinis impensissime studeamus, Moralem non tanti

facimus, et eam potissimum partem, quae de humani animi ingenio, eiusque affectibus ad vitam civilem, et ad eloquentiam accommodate, de propriis virtutum, ac vitiorum notis, de bonis malisque artibus, de morum characteribus pro cuiusque aetate, sexu, conditione, fortuna, gente, republica; et de illa decori arte omnium difficillima disserit: atque adeo amplissima, praestantissimaque de Republica doctrina nobis deserta ferme, et inculta iacet. Quia unus hodie studiorum finis veritas: vestigamus naturam rerum, quia certa videtur: hominum naturam non vestigamus, quia est ab arbitrio incertissima. Sed haec ratio studiorum adolescentibus illa parit incommoda, ut porro nec satis vitam civilem prudenter agant; nec orationem moribus tingere, et affectibus inflammare satis sciant. Et quod ad prudentiam civilis vitae attinet, cum rerum humanarum dominae sint Occasio, et Electio, quae incertissimæ sunt; easque ut plurimum *Simulatio*, et *Dissimulatio*, res fallacissimæ ducant; qui unum verum curant, difficile media, difficilius fines earum assequuntur; et suis consiliis frustrati, alienis decepti, quam saepissime abeunt. Quando igitur vitae agenda ex rerum momentis, et appendicibus, quae circumstantiae dicuntur, aestimantur: et earum multae fortasse alienae, ac ineptae, nonnullae saepe perversae, et quandoque etiam adversae suo fini sunt; non ex ista recta mentis

regula, quae rigida est, hominum facta aestimari possunt: sed illa Lesbiorum flexili, quae non ad se corpora dirigit, sed se ad corpora inflectit, spectari debent. Atque adeo hoc scientia a prudentia distat; quod scientia excellunt, qui unam causam, per quam plurima naturae effecta perducunt: prudentia vero praestant, qui unius facti quamplurimas caussas vestigant, ut quae sit vera, coniiciant. Idque adeo fit, quia scientia ad summa, sapientia ad infima vera spectat: unde stulti, illiterati astuti, docti imprudentis, et viri sapientis distinguntur characteres, et notae: nam in vita agenda stulti neque summa, neque infima vera attendunt: illiterati astuti infima animadvertunt, prima non vident; imprudentes docti ex summis infima; sapientes vero ex infimis summa dirigunt. At ex genere vera aeterna sunt: particularia autem quoque temporis momento in falsa mutantur aeterna supra naturam extant: in natura enim nihil nisi mobile, nihil nisi mutabile continetur. Tum autem bonum cum vero congruit: et eamdem cum eo vim habet, easdem dotes. Proin stultus, qui nec ex genere, nec in specie vera norit, semper praesentem suae temeritatis fert poenam. Indocto autem astuto, qui vera peculiaria captat, nec ex genere verum tenet, quae astutiae hodie prosunt, eae ipsae cras nocebunt. Docti vero imprudentes, qui ad peculiaria a vero ex genere recta pergunt; per amfractuosa vitae perrumpunt. At

sapientes, qui per agendorum obliqua, et incerta ad æternum verum collimant, quia recta non possunt, circumducunt iter: et consilia expediunt in temporis longitudinem, quantum natura fieri potest, profutura. Non recte igitur, per haec, quae diximus, ii faciunt, qui iudicandi rationem, qua utitur scientia, in prudentiae usum transferunt, nam ii res recta ratione aestimant: et homines, cum bona ex parte stulti sint, non consilio, sed libidine, vel fortuna reguntur: ipsi de rebus judicant, quales esse oportuerit; et res ut plurimum temere gestae sunt. Et cum sensum communem non excoluerint, nec verisimilia unquam secuti sint, uno vero contenti; quid porro de eo homines communiter sentiant, et an iis quoque vera videantur, nequicquam pendunt: quae res non solum privatis hominibus, sed principibus viris, et summis regibus et summo vitio datum est, et quandoque maximo damno, maloque fuit. Cum Henricus III. Rex Galliarum Henricum Guisium Ducem, popularissimum principem, sub publica commeatus fide, et in mediis Galliarum conventibus morti dari mandasset; quanquam facto iustae subessent causae, quia tamen non videbantur; re Romam perlata, Ludovicus Cardinalis Mandrutius, rerum publicarum prudentissimus, factum in ea verba notavit: Principes non solum, ut res verae, et iustae sint, sed ut tales quoque videantur, curare oportere. Quod sapiens dictum mala

inde in Galliae Regno orta quam verissimum esse comprobarunt. Recte igitur sapientissimi Romani in prudentiae rebus, quid videretur, spectabant: et cum Iudices, tum Senatores per verbum *videri* suas sententias concipiebant. Ut haec igitur omnia complectamur, Philosophi, qui propter eximiam rerum maximarum scientiam politici olim universarum rerum publicarum nomine vocabantur; postea ex parva urbis Athenarum particula, et loco, ubi docebant, nomen habuerunt, ac Peripatetici, et Academici dicti sunt; tum rationalem, tum naturalem, moralemque doctrinam ad civilem prudentiam apposite tradebant; hodie res nobis ad antiquos physicos reciderunt. Et quando olim triplex philosophia ab iisdem tradebatur ad eloquentiam accommodate: unde a Lyceo Demosthenes, ab Academia Cicero luculentissimarum maximi oratores linguarum prodiere: hodie ea ratione docetur, ut in ea fontes omnis verisimilis, copiosae, acutae, ornatae, explicatae, amplae, moratae, inflammataeque orationis sint exsiccati: et auditorum mentes conformant similes

....Virginum nostrarum, quas matres student
Demissis humeris esse, et vincto pectore,
ut graciles sient:
Si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt, deducunt cibum:
Tametsi bona est natura, reddunt curatura iunceas.

Heic doctissimi homines ad illud de civili prudentia fortasse respondeant, me eos velle Aulicos, non Philosophos: vera negligere, apparentia sequi: virtutem opprimere, et virtutis simulacra praemeferre. Nullus equidem: sed eos vellem Aulae quoque philosophos: verum curare, quod videatur: honestum sequi, quod omnes probent. At enim de Eloquentia iidem ipsi suam studiorum rationem nedum nullum ei incommodum, sed maximam contendunt afferre utilitatem. Quanto enim, inquiunt, praestat, veris rerum argumentis eam menti vim facere, quae cum ratione coalescat, nec unquam ab ea resolvi possit; quam istis orationis illecebris, et dicendi facibus animum flectere, quae ubi restinctae sunt, rursus ad ingenium redeat. Sed quid facias, si non cum mente, sed cum animo tota eloquentiae res est: mens quidem tenuibus istis veri retibus capitur; sed animus non nisi his corpulentioribus machinis contorquetur, et expugnatur. Eloquentia enim est officii persuadendi facultas. Is autem persuadet, qui talem in auditorem animum, qualem velit, inducat. Hunc animum sapientes sibi inducunt voluntate, quae mentis placidissima pedissequa est: quare eos sat est, doceas officium, ut faciant. At multitudo, et vulgus appetitu rapitur, et abripitur: appetitus autem est tumultuosus, et turbulentus: cum enim sit labes, corporis contagione contracta, corporis naturam sequens, non

movetur, nisi per corpora. Itaque per corporeas imagines est alliciendus, ut amet: nam ubi semel amat, facile docetur, ut credat: et ubi credit, et amat, est inflammandus, ut supra solita impotentia velit: quae tria nisi qui fecerit, haud persuasionis opus effecit. Atque adeo animi perturbationes, quae interioris hominis mala ab appetitu omnia, tanquam ab uno fonte proveniunt: duae solae res ad bonos usus traducunt; Philosophia, quae eas sapientibus temperat, quo virtutes evadant; Eloquentia, quae eas in vulgo incendit, ut faciant officia virtutis. Sed eam hodie Rerumpublicarum formam esse replicabunt; ut eloquentia in liberis populis non ultra regnet. Principibus quidem grates, qui nos legibus non lingua regunt: sed in his ipsis Rebuspublicis Oratores amplo, verso, inflammato dicendi genere eximii, cum in foro, tum in Senatu, et in sacris concionibus cum summa Reipublicae utilitate, et maxima linguae gloria claruerunt. Sed dicamus quid fortasse rei sit: Galli substantiae vocabulis abundant, substantia autem a se bruta, et immobilis, nec comparationis est patiens. Quare nec sententias inflammare, quod sine motu, et quidem vehementi non fit; nec amplificare, et exaggerare quicquam possunt. Indidem verba invertere nequeunt: quia, cum substantia summum sit genus rerum, nihil medium substernit, in quo similitudinum extrema conveniant, et uniantur. Quamobrem

metaphorae in eius generis nominibus uno vocabulo fieri non possunt; et quae duobus fiunt, ut plurimum durae sunt. Ad haec, orationis ambitum conati, nihil ultra membra praestiterunt: nec ampliores versus, quam, quos dicunt Alexandrinos, fundunt: et ipsi, praeterquamquod distrophi sunt cum praeterea singuli sententias claudant, et bini similiter desinant; quarum rerum altera omnem minuit amplitudinem, altera allevat gravitatem; sunt inertiores, tenuioresque elegiacis. Duas duntaxat voculationum sedes, ultimam, et penultimam habent: et ubi nos ab ultima tertiam acuimus, ii accentum in penultimam transferunt: quod nescio quid tenue, et subtile sonat: quibus rebus ii nec amplis periodis, nec grandibus numeris apti sunt. Sed ut eadem lingua omnis sublimis, ornatique dicendi characteris impos, sic tenuis patientissima est. Cum enim substantiae vocabulis scateat, atque iis ipsis, quae substantias, ut Scholae dicunt, *abstractas* significant, rerum semper summa perstringit. Quare didascalico dicendi generi aptissima est: quia artes, scientiaeque summa rerum genera persequuntur. Atque hinc factum, ut ubi nos nostros Oratores laudamus, quod diserte, explicate, eloquenter dicant; ii laudent suos, quod vera cogitarint. Et quum hanc mentis virtutem distracta celeriter, apte, et feliciter uniendi, quae nobis ingenium dicitur, appellare volunt, Spiritum dicunt: et mentis vim,

quae compositione existit, re simplicissima notant: quod subtilissimae eorum mentes non compositione, sed tenuitate cogitationum excellant. Quare si eius disputationis, summis dignae philosophis, illa pars vera est: linguis ingenia, non linguas ingeniis formari; hanc novam Criticam, quae tota spiritalis videtur, et Analysim, quae Matheseos subiectum, quantum ex se est, omni prorsus corpulentia exuit, uni in Orbe Terrarum Galli vi suae subtilissimae linguae excogitare potuerunt. Cum haec igitur omnia ita sint; eloquentiam suae linguae parem ab una sententiarum veritate, tenuitateque, et deducta ordinis virtute commendant. Nos vero lingua praediti, quae imagines semper excitat: unde uni Itali pictura, sculptura, architectura, musica omnibus orbis Terrarum nationibus praestiterunt: quae actuosa semper, auditorum mentes in res longe dissitas, et remotas vi similitudinum transfert: unde Itali post Hispanos acutissimi nationum: quae in genere dicendi ornato, et amplo, nempe Herodoteo, Liviano, Ciceronianoque Guicciardinios, in grandi, ac vehementi, sive Thucydideo, Demosthenico, ac Sallustiano alios, in Attica elegantia Buccacios; in novo Lyricorum genere Petrarchas; qui fabularum granditate, et locutionis facilitate Homerum referunt, Ariostos; qui maiestate sententiarum, et divinis numeris Virgilium exprimunt, Torquatos numerat, et recenset; linguam, quibus partibus

potissimum beatissima est, non excolemus? Igitur qui neque in Physicum, neque in Mechanicum eruditur; sed ad Rempublicam, vel Foro, vel Senatui, vel sacris Concionibus instituitur; in hisce studiis, qua methodo traduntur nec puer, nec diu immoretur: Geometriam per formas ad ingeniosam rationem addiscat: Topicam excolat: et de natura, de homine, de republica libero, ac nitidiori disserendi genere in utramque disputet partem; ut quod probabilius, verisimiliusque in rebus sit amplectatur: ut ne in summa nostri sint scientiores antiquis, et nobis sapientiores antiqui: nostri veriores antiquis, et nobis eloquentiores antiqui: sed ita sapientia, eloquentia aequemus, ut scientia superamus antiquos.

De re autem Poëtica nihil singillatim disserui: quia poëticus instinctus Dei Optimi Maximi donum est, nec ullis instrumentis parari potest: quia tamen, qui ea facultate divinitus afflati sunt, si eam ipsam literarum studiis exornare velint, ut omnium studiorum florem quendam excolant, necesse est; de eadem extra ordinem quidem, non tamen sine omni ordine, quae nostri argumenti sunt, disseramus. Criticam nostri temporis Poëticae obesse diximus, sub eo temperamento, si pueris tradatur: nam iis et phantasiam obcoecat, et memoriam obruit: et Poëtae optimi phantastici sunt: et peculiare eorum Numen Memoria, eiusque soboles Musae.

Sed si adolescentes, utraque mentis facultate firmati, eam artem edoceantur, eam Poëticae rei conferre putem: quia Poëtae ad verum in idea, sive ex genere, ut paullo inferius dicemus, spectant. Et methodus geometrica quamplurimum ad confingenda mendacia poëtica conducit: nempe ut tales per omnem fabulae tractum perpetuo gerantur personae, quales semel principio inductae sunt: quam artem Homerus omnium princeps, ut tradit Aristoteles, docuit: et, ut idem Philosophus animadvertit, sunt quidam a consequente paralogismi: ut, Daedalus volat, si alatus est. Quare ea recte confingere nequeunt, nisi qui satis recte norint alia aliis attexere, ut a primis secunda, a secundis porro tertia consequi natura videantur. Quamobrem acute, neque citra verum quis dixerit: eiusmodi mendacia eos invenire tantum posse, qui vera philosophiae optime sciunt. Id egregie praestant Geometrae, qui ex falsis permissis, et datis suae vi methodi a consequenti vera conficiunt. Et finem quoque, qui hodie maxime celebratur, nempe verum in idea, sive ex genere, in re Poëtica adprime utilem arbitror. Neque enim in ea sum sententia, Poëtas falsis praecipue delectari: quin affirmari audeam, eos aeque ac philosophos ex instituto vera sequi. Nam Poëta delectando docet, quae severe Philosophus: uterque docet officia: uterque mores hominum de-

scribit: uterque ad virtutes excitat; et a vitiis abducit, sed Philosophus, quia cum eruditis rem habet, id disserit ex genere; Poeta vero, quia cum vulgo agit, sublimibus personarum, quas fingit, factis, dictisque, tanquam exemplis quodammodo excogitatis persuadet. Quamobrem Poëtae recedunt a formis veri quotidianis; ut excellentiorem quandam veri speciem affingant: et naturam incertam deserunt, ut naturam constantem sequantur: atque adeo falsa sequuntur, ut sint quodammodo veriores. Rigor hic humanarum actionum, ut quis in omnibus, et per omnia sibi constet, optime a Stoicis, quibus Recentiores respondere videntur, docebatur. Unde ii merito suae Stoicae sectae Principem asserebant Homerum, qui Aristoteli princeps poëticorum mendaciorum est artifex. Quapropter per quas ipsas caussas nostrum studiorum finem prudentiae civili obesse docui; eum Poëticae conducere iudicarim. Nam prudentia in humanis actionibus vestigat verum, uti est, etiam ab imprudentia, ignorantia, libidine, necessitate, fortuna: Poësis tantum ad id verum spectat, uti natura, et consilio esse debet. Et recentiorem Physicam Rei Poëticae commodam esse existimarem: nam Poëtae phrases bona ex parte usurpant, quibus naturales rerum caussas explicant; sive in dictionis poëticae admirationem, sive in antiquae possessionis argumentum: quod antiquissimi Poë-

tarum physici fuerint. Unde illa *sanguine cretus*, pro genito: *abire in auras*, pro mori: *ignis circa præcordia fervens*, pro febri: *concretus in aëre vapor*, pro nube: *excussus nubibus ignis*, pro fulmine: *terrae umbrae*, pro nocte; omnes temporis partes Astronomorum definitionibus descriptae: et metonymia caussae pro effectu apud eosdem tantopere celebrata. Igitur quando recentior Physica sensibiliores caussarum imagines a Mechanica potissimum, qua utitur, tanquam instrumento, describit; ea commodius Poëtas novarum genere locutionum instrueret.

Credo equidem, vos haudquaquam miratos esse, quod instrumenta scientiarum omnia persecutus, nulla de Christiana Theologia verba fecerim: neque enim existimavi, vos expectaturos, ut ego deterrimo comparationis genere vera cum falsis, divina cum humanis, Christum cum Lycurgo, vel Numa compararem. Sed ut breviter, quantum ab ethnicis in hac studiorum parte peccatum sit, accipiatis; illud animadvertere licet, apud eos multas, varias, incertissimasque fuisse de Deorum natura opiniones: et qui rebuspublicis praeerant, philosophos de rebus divinis opposita disserere aequo animo patiebantur: et tantum impietatis animadvertebant in eos, qui Deos esse negarent: fortasse rati, cetera philosophorum placita vulgi captum, in quod

potissimum religio erat inculcanda, superare. Et Poëtas quoque de Deorum natura, eorumque potestate in fabularum admirationem nova comminisci sinebant: nam id ipsum ad religionem pertinere arbitrabantur; quo maior de suorum Numinum potentia in vulgi animos opinio induceretur. In sacrificiis vero, auguriis, auspiciisque, quia iis rebus maxime publicum religionis usum posuerunt; quo augustiora, et venerabiliora essent, caeremonias Deorum quammaxime certas, solemnesque esse voluerunt. Quare solas caeremonias pollutas, et spretas auspiciorum religiones, et novas divinandi artes vindicarunt, ac ulti sunt. Neque Christianos, quod suos Deos non crederent, sed quod non adorarent, persequebantur. Sed quid stultius, quid ineptius, quam iubere per caeremonias certas, incerta adorare Numina? At Christiana Religio dogmata de Dei Optimi Maximi natura, divinisque mysteriis, quamcertissima docet: unde ritus, et caeremoniae sunt merito certae. Quare nova scientia apud nos divinitus nata est, quae divinos eius veri fontes aperit, sacros libros, et traditionem, et Theologia Dogmatica nuncupatur. Itaque ubi olim lex XII. Tabularum a coeremoniarum capite incipiebat: DEOS CASTE ADEUNTO; Iustinianeus Codex a Titulo *de Summa Trinitate, et Fide Catholica* inauspicatur. Eius autem doctrinae optima methodo, quasi rivulus effluit alia Theologia, quae Moralis di-

citur, et de finibus bonorum, de virtutibus, officiisque ad Christianam religionem accomodate praecepta consignat. Quae de Deo scientia, quae caeremoniarum castitas, quae morum doctrina tanta veritate, tanta dignitate, tanta virtute praestant: ut Christiana religio, non ut aliae vi, et armis, quibus gentes delerent; sed virtutibus, et cruciatuum constantia in duas saeculi sapientissimas gentes, Graecos, Romanosque, et in potentissimum Orbis Terrarum Imperium sese insinuarit: atque eae cum suo imperio, cum sua doctrina in Christianum nomen sponte sua concesserunt: nec tamen eorum religionis, ac philosophiae monumenta deleta sunt: divino certe consilio, ut in omne aevum, utraque ad exemplum collata, illa humana, nostra prorsus divina videretur.

Hactenus de scientiarum instrumentis; nunc de nostrae studiorum rationis adiumentis disseramus. Et quod de multis rerum argumentis, quae a prudentia sunt, artes redactas habeamus, vereor, ne damno potius nostrae studiorum rationis, quam lucro apponi necesse sit. Nam de iis rebus, quibus prudentia moderatur, artes, si multae, nullae, sin modicae, multae sunt. Qui enim omnia prudentiae in artem redigere conantur, principio inanem insumunt operam: quia prudentia ex rerum circumstantiis, quae infinitae sunt, sua capit consilia; quare omnis earum

comprehensio, quam amplissima, nunquam est satis. Deinde consuefaciunt auditores, ut communibus praeceptis adhaerescant: quo nihil in actu rerum inutilius experimur. Quamobrem ut usui sint artes, quae prudentia constant, uti Oratoria, Poëtica, Historica, Deorum Compitalium instar sint; et tantum demonstrent, quo, et qua sit eundum: nempe per philosophiam ad ipsius optimae contemplationem Naturae. Quum enim una excolebatur Philosophia, sive adeo una optima spectabatur natura; maximi in quoque istarum artium genere scriptores apud graecos, latinos, et nostros floruerunt: artibus autem apud quosque eorum excultis, non perinde clari extiterunt. Exequamini, quaeso, de singulis rationem; et me nihil falsi dixisse invenietis. Quapropter qui artes, ac disciplinas, quae nedum omnes, sed cunctae in philosophiae gremio continebantur, et ab ea, et inter se ipsas diviserunt; mihi Tyrannorum similes fuisse videntur, qui amplissima. opulentissimaque, ac frequentissima hostium urbe potiti, quo tuti porro ab ea sint, urbem delent, et cives per pagos longe dissitos dissipant: ut ne ultra suae urbis magnificentia, et opibus, suorumque numero freti spiritus, animosque efferre, neve conspirare, et alii aliis auxilio esse possint.

Id ipsum speciatim nostra Jurisprudentia confirmemus, quae, quia graecis ignota, et priscis

Romanis prorsus alia fuit; quaedam praecipua, quae hac in re insunt, et nostri argumenti sunt, dicere necesse est. Quatuor priores tituli primi Pandectarum libri,, quibus, quae dicunt graeci Priora, absolvuntur, sive doctrina de Jurisprudentiae natura, eiusque fine, justitia, argumento, nempe jure, seu justo de legum caussis, virtutibusque, et de earum interpretandarum ratione, quantula eius ingentis operis pars est? et tamen omnem Jurisprudentiae Artem expediunt. Quanquam quid hoc verbi est Ars prudentiae, cuius una ars est Philosophia? Nam si cum *Auctore Methodi Juris Civilis* satis docto eleganter loqui velimus: *Priora* philosophiam Juris continent; reliquum totum corpus historiam: ego vero praeterea et ingentem generis judicialis Topicam continere affirmarim. Nam quid est, quod immensa librorum de Jure moles cum nobis sit, tum post Edictum Perpetuum Romanis fuerit; de quo Romanis antea admodum pauci, Grecis omnino nulli? Quia apud Graecos Philosophi Juris philosophiam, nempe doctrinam de Republica, de iustitia, legibusque tradebant: qui Pragmatici dicebantur, leges Oratoribus ministrabant: Oratores autem in caussis ex facto ipso aequi argumenta inveniebant. Quare, cum apud Graecos Iurisprudentia, et Philosophorum scientia, et Pragmaticorum de legibus historia, et Oratorum facultate contineretur; apud eosdem de philosophia

innumeri, orationum quamplurimi, nulli autem de iure libri erant. Philosophi autem Romanorum ipsi erant Iurisconsulti, ut qui in una legum peritia omnem sapientiam posuerunt, sive sapientiam heroicorum temporum meram conservarunt: etenim.

... Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, et leges incidere ligno.

Quare eadem definitione Romani Jurisprudentiam, qua Graeci Sapientiam *divinarum, humanarumque rerum notitiam*, definiebant. Cum autem ea sapientia iustitia, et civili prudentia tota ferme constet; doctrinam de Republica, et de iustitia multo rectius, quam Graeci, non disserendo, sed ipso usu Reipublicae perdiscebant. Itaque *veram, non simulatam philosophiam* sectantes, (nam de his temporibus verba *Iurisconsulti* verius dici possunt) in iis virtutibus prius publica persancte obeundo munia, magistratus nempe, et imperia se firmabant: senes tandem aetate earundem virtutum compote ad Iurisprudentiam animum, tanquam ad honestissimum vitae portum appellebant. Sed et ipsa Iurisprudentia Patricii, tanquam *arcano potentiae* utebantur. Cum enim tres essent Romanorum civium ordines, Plebs, Eques, Senatus; nec Patricii ullum in ea ordinem facerent,

nulla certe eorum ratio habebatur; nisi arte aliqua ullum sibi in republica potentiae gradum adstruerent. Igitur cum ius triplex, sacrum, publicum, privatumque; et in sacro ius augurum, in publico foeciale, in privato autem actionum formulae continerentur; ut Patricii comitia, quae auspicato haberi necesse erat, ut bella, paces, foedera, et, ut iudicia in partem aliquam sua haberent in manu, eo consilio usi sunt: ut nemo Iurisconsultus haberetur, quin haec tria nosset iura: unde Iurisprudentiam, *divinarum, humanarumque rerum notitiam* definierunt. Ea autem tria iura non norant, nisi qui ex Pontificum, Augurumve Collegiis essent: cumque in ea nisi nobilissimi viri cooptarentur; uni Patricii Iurisprudentiam, veluti mysteria quaedam, custodiebant. Neque post Tiberium Coruncanium, qui omnium primus ius Romae professus est, ea, nisi nobilissimorum filiis virorum, tanquam sacra tradebatur. Et quo hoc suum potentiae arcanum legum sanctitate sanctius facerent; verba legum sanctissime custodiebant: quo autem magis venerandam speciem praefeferrent, actionum formulas quam maxime certas, solemnesque esse accurabant: et quo denique plebem magis celatam haberent, per notas scribebant, non perscribebant. Et sapientissimi Romanorum id iis arcanum aequo animo dissimulabant: qui e Republica censebant, ut nobiles, qui in Republica ad bellicam virtutem sunt

necessarii; iustitiae studiis magis, quam iniuriis, et insolentia possent: et una opera populus iuris religiosissimus esset. Nam illa Respublica beatissima, in qua legum, tanquam ignoti Numinis religio cives teneat. Ita nanque disciplina urbana non minori aequabilitate, et constantia custoditur, quam militaris: per quam nefas militi caussam imperii requirere: et unae eius partes id alacrem expectare, impigrum exequi. Hinc ius in Republica libera rigidissimum erat: Praetor merus *iuris civilis custos*: omnes contractus stipulationibus firmabantur: numerationes omnes sive ad obligandum, sive ad solvendum apud mensas argentarias nominibus fiebant: ubi actiones deerant, sponsionibus in iudicio certabatur: si qui ex bona fide boni cum bonis bene agere, et aequum facere vellent; non iudiciis, sed arbitriis disceptabant: in quibus non iuris regnabat necessitas; sed officii pudor obsequebatur: et si quos ob meritum lege eximi, vel ob crimen nova poena puniri oportebat; lex XII. Tabb., quam hoc merito *Tacitus*, ut conjicio, *finem aequi juris* laudat; nihil crescebat, decrescebatve: sed singulares leges, seu privilegia in eos irrogabantur: nisi res tam calida et subita nimis foret, ut extra ordinem de ea decerni necesse esset. Ita leges ubique rigebant; adeo ut, si nedum privatorum utilitas, sed ipsa Respublica aliquid contra leges recipi suaderet; id Iurisconsulti fictionibus, et commentis quibusdam iuris

expediebant; ne ius quicquam demutaretur. Ex quo genere sunt postliminii; legisque Corneliae, aliaeque fictiones; et imaginariae in emancipationibus, testamentisque venditiones. Ad quae si quis animum recte advertat; iuris fictiones nihil aliud, nisi priscae iurisprudentiae productiones, et exceptiones legum fuisse comperiat: quibus prisci Iurisconsulti, non, ut nostri, leges ad facta, sed ad leges facta accommodabant. Atque in eo omnis priscae Iurisprudentiae laus posita erat, nempe aliquod eiusmodi consilium comminisci, quo et leges integrae essent, et publicae utilitati consuleretur. Cum igitur per ea, quae memoravimus, soli Patricii Iurisprudentiam; Oratoriam autem novi quoque homines, et obscuro loco nati profiterentur; iidem Iurisconsulti et iuris philosophiam docti erant, et legum tenebant historiam; et, nisi ipsimet causas legitimas susciperent defendendas, consulentibus de iure reddebant, quae porro deferrent ad Oratores, oracula: ubi vero ipsi quoque ad caussas legitimas agendas in Forum Oratores descenderent; quia verba ad ius, voluntas ad aequum spectat; in causis legitimis, quae ex scripto, et voluntate constarent; utrique pro suo instituto, Iurisconsulti ius, summi Oratores aequum defendebant: nam quia iuris summa sanctitas erat, aequum in iudiciis, nisi summa eloquentia obtineri non poterat: atque his de caussis in Republica libera triplicis iuris una Pru-

dentia: quae definiebatur *divinarum, humanarumque rerum notitia; iusti, et iniusti scientia;* ut *humanis rebus* publicae, et privatae continerentur; et appellatione *iusti*, quicquid legibus diserte cautum esset, acciperetur. Iurisprudentia, et Oratoria ex Reipublicae instituto divisae: et Iurisconsulti, si Oratoriam quoque profiterentur, ipsi verba legum; Oratores modo verba, modo mentem; sed verba etiam mediocres, mentem nonnisi eloquentissimi defendebant; et pauci admodum de iure libri: nec quis unus, nisi furtim in publicum editus. At, commutata in Principatum Republica, Romani Principes uti principio ius Comitiorum a Populo ad Senatum transtulerant; ita mox omnes de bello, pace, foederibus, aliasque de republica deliberationes, et militiae, potentiaeque arcana intra *sacra domus* coërcuerunt. Eam enim esse *imperandi conditionem Liviae, Crispus* dicebat, *ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur:* quae *Iurisconsulti* illa *lex Regia* est, quam non Populi Romani voluntas iussit, sed ab eo Reipublicae necessitas expressit; ut *cuncta discordiis civilibus fessa* Augustus, *nomine Principis sub imperium acciperet;* manu vero Regia gubernaret. Sed, ut iidem Romani Principes nobilibus aliquo pacto, et Senatui satisfacerent; et memores, Optimatium factionem firmando Principatui fuisse adversatam; haec iis *potentiae simulacra* obiecerunt. Senatui quidem

concesserunt, ut de privatis rebus, ad *Principum tamen orationes* conderent iura. At eae orationes in speciem Consulum relationes videbantur: re quidem ipsa, sententiae Principum erant, cum *praerogativa suffragii;* ut ne quid Senatus de iure privato, nisi quod Princeps vellet, et in quam sententiam vellet, consuleret. Quamobrem dum firmaretur Principatus, ipsi; constabilitis autem rebus, per Quaestores Candidatos recitarunt. Nobilibus vero non promiscue quibusvis, sed tantum obsequii explorati ius dederunt publice respondendi, multo in speciem maiori, quam antea auctoritate; sed ita tamen, ut in ea duntaxat caussa, de qua consulerentur, ius facerent. Et ut id ipsum quoque potentiae simulacrum iis attenuarent, ipsi autem vera potentia, nempe plebis studiis, et favore multitudinis firmarentur; Praetoribus permiserunt, ut ubi leges asperiores cum privatis essent, aequitate lenirent; ubi deessent, per benignitatem supplerent: non tamen ita, ut leges ipsas immutarent, sed sub quadam religionis specie eas, sua virtute, sive effectu per aliquam fictionem, ad liberae Iurisprudentiae exemplum, ut in bonorum possessionibus, et actionibus rescissoriis factum videmus, frustrarentur. Atque ita Praetores, et iuris civilis custodes, et aequitatis naturalis ministri facti sunt: nam in causis, in quas diserta legum verba dirigebantur, directas; iis vero, in quibus legum

verba vel dubia essent, vel deessent, utiles accommodabant actiones. Eoque pacto sub Principatu, ante tamen Edictum Perpetuum, iam non omnino eadem Iurisprudentia: nam *humanarum rerum* acceptione solae *res privatae* continebantur: quia ius publicum a privato secretum est: unde philosophia iuris infirmari coepit: adhuc tamen erat *scientia iusti:* sed quae aequitate praetoria sensim elidebatur: et adhuc pauci de iure libri, quia adhuc Iurisprudentes ex instituto iuris rigorem profitebantur: et ad solos Oratores aequum defendendum deferebatur. Sed postquam sub Hadriano edictum Perpetuum omnis aequitatis plenissimum prodiit; et publice cautum, ut quemadmodum prius a XII. Tabb., ita deinde ab Edicto Perpetuo in Iurisprudentia instituerentur; lex XII. Tabb. non ultra fuit norma Romani iuris: Senatui, Praetoribus, ac Iurisconsultis condendi iuris potestas attenuata. Nam non ultra Senatusconsulta accommodata ad legem XII. Tabb. celebrari: nec Praetores ultra ad eandem apposite edicta perpetuae iurisdictionis caussa proponere: Romani Principes suis Rescriptis, naturalem sequuti aequitatem, nova iura constituere, et iuris dubia decidere. Unde chronologia Constitutionum Principalium ab eodem Hadriano sumit initium. Atque his de caussis Iurisprudentia ex *Scientia iusti*, *Ars aequi* facta est: et Iurisconsulti ex instituto aequi momenta in caussis invenire; et de iure privato innumeros libros

scribere. Sed quia formulae adhuc vigebant, adhuc Oratores ad aequum defendendum in Foro versasabantur: sed ita, ut quantum aequitas naturalis invalescebat, tantum Forensis eloquentia silesceret. Sed postquam Constantinus, formulis actionum sublatis, omnia iudicia extraordinaria esse iussit: Iurisprudentiae arcanum omnibus vulgatum est: et haec quoque potentiae persona Patriciis detracta: et ignobiles quoque Iurisprudentiam vulgo profiteri; publicaeque de Iurisprudentia Academiae Romae, Constantinopoli, ac Beriti fundatae: ac *Theodosius, et Valentinianus* e Republica constituerunt; ut ne quis vel publicus Antecessor iura privatim profiteretur: et ius civile non ultra religione aliqua, nec ullis commentis, sed aperte, ubi aequitas aliud suaderet, non tantum a Principibus, sed a Iudicibus quoque perruptum est: et aequitas in omnibus, et per omnia in iudiciis regnare: et Praetor *viva iuris civilis* vox, omnis privati iuris, uti hodie quivis noster iudex, absolutissimus arbiter. Quare quando olim multa iudicia, pauca arbitria; quia multi iniusti, pauci homines aequi; hodie omnia sunt arbitria: in quibus tamen aequitatis officium abiit in iuris necessitatem. Ad haec cum idem Constantinus in Christianam Religionem venisset; in qua *divinarum rerum scientia* penes Ecclesiae Patres est; Iurisprudentia *privatarum duntaxat rerum notitia* evasit: nec ulterius *scientia iusti*; ut hodie

verba legum tenere iurisprudentis non sit. Et quia aequitas naturalis in iudiciis potentissima facta est, eloquentia Forensis prorsus obmutuit: ac Iurisprudentia sua librorum mole coepit laborare. Itaque eleganter dicere possis, et vere, Iurisconsultos nostros in caussis veris Oratorum, in fictis Declamatorum invasisse possessiones: uti *Iacobus Cuiacius* de se diserte profitetur: quod, si quando ei caussae deessent verae, in quaestionibus scholasticis Declamatorum exercebatur. Quam caussam inter alias *corruptae eloquentiae* gravissimus quisquis eius libelli sit *Author*, non numerat: fortasse, quia hoc malum sub ea tempora oriri incipiebat: et mala sub ipsis nascendi initiis difficillime sentiuntur, et vel prudentissimos fallunt. Sed, ut ad rem, eo, quo narravimus pacto res Iurisprudentiae Romanae commutatae. Iurisprudentia prius rigida, arcanum erat potentiae Patriciorum adversum plebem: deinde benigna arcanum fuit Romanorum Principum adversus Patricios. Quare Reipublicae liberae interfuit, eam non vulgari: postea interfuit Principum, non esse celatam. Prius publici iuris omnes gnari; privatum arcanum erat: deinde publicum arcanum; privatum omnibus palam factum. Olim docebantur prius iuris publici prudentiam; deinde transibant ad respondendum de privato: hodie in privata iurisprudentia spectati ad consulendum de republica transeunt. Triplicis iuris una olim pruden-

tia; nunc triplex, sacra, publica, et privata. Et haec ipsa privata olim ad genera; hodie ad species magis spectat. Quare leges olim de iis, quae ut plurimum accidunt; nunc de minutissimis factis concoeptae sunt: ac proinde olim paucae leges, innumera privilegia; hodie leges ita minutae, ut innumera privilegia esse videantur. Igitur merito prius erat *Scientia iusti*; hodie est *Ars aequi*: hoc est prius universalis, et rigida; hodie particularis, et flexilis: nam scientiae severae, nec quicquam declinant; artes autem commodae, et morigerae sunt. Indidem prius facta aequa iniusta erant, nisi ad ius fictionibus traherentur: hodie iura iniusta sunt, nisi benigna interpretatione ad facta accommodentur. Itaque olim tota Iurisprudentiae laus erat, ut commentis quibusdam facta aequa evaderent legibus quoque iusta: hodie, ut leges justae benignis interpretationibus sint, etiam factis aequae. Unde Iurisprudentes olim ex instituto tuebantur verba; hodie ex instituto defendunt mentem: et in quaestionibus legitimis Iurisconsulti olim verba, Oratores mentem legum patrocinabantur: hodie Iurisconsulti Oratorum funguntur munere. Et quia leges certae, facta infinita; et ius ad leges, facta ad aequum spectar; olim pauci, hodie innumeri de iure libri. Et in summa, mutato Iurisprudentiae arcano cum mutata republica, mutatae leges, mutata Iurisprudentia, Iurisconsulti alii, alii Oratores, alii Magistratus, alia Iudicia:

et nos nova arte, et novo librorum genere supra Graecos, et priscos Romanos aucti sumus. Atque ex hac arcana Iurisprudentiae Romanorum historia, quam *Arnoldum Clapmarium in lib. de Arcanis Rerumpublicarum*, diligentissimum alioqui eiusmodi rerum in Romana Republica observatorem, effugisse miror; et ex iis, quae de antiquorum Iurisprudentia memoravimus; haec nostrae Jurisprudentiae addiscendae rationem commoda, incommodaque sequuntur. Commodum quidem est, quod Iurisprudentia, quae apud Graecos in Philoophorum scientiam, Pragmaticorum de legibus historiam, et Oratorum facultatem dividebatur; et Romanis, ante Edictum Perpetuum, inter Jurisconsultos, et oratores partita erat; hodie in unam doctrinam coaluerit: Quare nostra studiorum Ratio Graecae, et priscae Romanae praestat: tum, quod plus vident, quae jura pro caussa, et ad causam faciant, qui in Iuris Topica sunt exerciti, quam qui, ut Pragmatici Graeci, solam legum historiam tenent; tum, quod acrius factorum circumstantias utiles ad vincendum advertunt, qui Iurisprudentiae gnari sunt, ac proinde rectius causas constituunt, quam qui sunt meri Oratores. Sed hoc commodum illud incommodi habet admixtum; quod, ut hodie Iurisprudentia ab Eloquentia integrior est; ita a philosophia infirmior. Nam ut Iurisconsulti hodie leges tragica oratione non vincunt, ut saepe Ora-

tores vincebant, ita scientiam rerumpublicarum legibus ordinandarum, conservandarumque, quae doctrina, ut mater omnis Iurisprudentiae est, ita prior tradi deberet, non docent, uti docebant philosophi, et ipso usu reipublicae perdiscebant Romani. Deinde commodo dandum, non multa hodie eloquentia opus esse, ut in iuris quaestionibus aequum obtineatur: nam sat est, simplici via in caussis argumenta aequi ex facto invenisse, ut leges non pro verbis, sed ex mente ad facta accommodentur. Quare ubi olim M. Crassum, Oratorem summum adire opus fuit, qui patrocinium aequitatis, et defensionem voluntatis mortuorum in caussa M. Curii adversus Mucium Scaevolam, qui ius propugnabat, susciperet; hodie quivis rusticus, momentis aequi indiserte, et incondite demonstratis, obtineret. Sed minor sanctitas legum: nam qui quid lege excipere studet, et legem vitii notat; et legislatorem imprudentiae coarguit; et legum tandem auctoritatem affligit: nam saepe leges vitiis, seu exceptionibus labefactatae, vix tandem inveniunt, ubi vindicentur. Quare sapientissimo consilio Agesilaus Spartanam iuventutem, Reipublicae florem et robur, in summa militum egestate, ne lege quidem alia lata, servare voluit; ut ne lex, quae eos damnabat, quicquam relaxaretur: sed eam ex die postero eius, quo ea caussa agebatur, valere iussit. Cui Spartani Regis commento priscae Romanorum Iurisprudentiae fi-

ctiones perquam apte respondent. Et commodis rescribendum, nostros Iurisconsultos magis aequitati studere, quam stricto iuri: quo benignius agatur cum privatis. At prisci Romani erant iuris rigidiores cum maiori utilitate Reipublicae. Nam iuris rigorem in uno experiri, id est caeteris legum reverentiam incutere. Itaque M. Attilius Regulus, quanquàm in caussa de permutandis captivis is unus pro omnibus maximum esset aequitatis momentum; ne tamen iuri quicquam derogaretur; illa, quae omnes norunt, et fidei in hostes, et pietatis in patriam, et constantiae rara ac praeclara dedit per summam, nec unquam interituram sapientiae gloriam, exempla. Commode quoque a iure privato hodie ad publicum tractandum transeunt; ut spectentur in re, ubi si quid peccent, minimum laedatur Respublica. At enim apud priscos Romanos, quia legum omnium regina Salus Publica est, et mater omnis aequi boni Utilitas Communis agnoscitur; ius publicum magistratibus, et imperiis edocebantur prius, deinde Iurisprudentiam privatam profitebantur. Tandem commodo verti debet, Iurisconsulti, et Oratoris munia apud nostros etiam in causis, quae facto constant, unita, quae Romanis priscis divisa erant. Quare et in causis facti graviores, et in illis iuris possumus esse copiosiores. Sed huic commodo illud incommodum referatur: quod triplicis iuris una olim

prudentia, in tres nunc distracta; et sacrum privatumque, quae olim iura ex publico defluebant, et a iure publico, et inter se scissa sunt: ut Theologi, et Canonistae Sacrum; qui sunt a sanctioribus Principum consiliis ius publicum; Iurisconsulti solum Privatum tractent. Sed illud incommodum, nescio, an ullo commodo rependi possit: quod cum aequitas ex factis spectetur, et facta infinita, et in iis quamplurima levissima sint; leges quoque innumeras, et levissimis de rebus maxima ex parte conceptas habeamus. Atqui nec innumerae servari omnes possunt: et de levibus rebus iussae, facile, ut fit, contemnuntur: et leves contemptae gravissimis quoque detrahunt sanctitatem. Quare Alphonsus Congi Rex, cum ingens Lusitanarum legum volumen legisset: quanquam barbarus, sapienter tamen eam minutam diligentiam irridens, quosdam Lusitanos, qui apud eum peregre erant, *quaenam poena apud eos domi in eum sancita esset, qui pede terram tetigisset*, interrogavit. Sed priscis Romanis leges admodum paucae, et gravissimis duntaxat de rebus rogatae erant: ut capita legis XII. Tabb. quae *fons omnis Romani iuris* dicta est, omnia exiguo libello continerentur; et a Romanis pueris ad morum institutionem memoriae mandarentur. Nisi quis hoc incommodum privilegiis, seu legibus singularibus Romanorum compensare velit:

quae, ut *Tacitus* graviter advertit, *etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen ex dissensione ordinum, et apiscendi inclitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava per vim latae sunt.* Sed id me vetat, hanc compensationis conditionem accipere: quia privilegia ab aliis comtemni nedum poterant, sed debebant: nam in exemplum non trahebantur: at nostrae minutae leges in consequentiam producuntur. His, quae enumeravimus commodis quidem fruimur: incommoda nondum vitavimus. Nam *Accursius*, et qui acutissimi homines, et solertissimi aequitatis indagatores eum secuti sunt, leges Romanas pro nostris temporibus sapientissime sunt quidem interpretati: nam ex minutissimis, et omni nostrae rei privatae inutilissimis legibus, quaedam iusti genera in respondendo, et iudicando apprime necessaria confecerunt; ut eorum, quae dicuntur *legum summae*, generales de iure privato leges sapientissime conceptae videantur. Quare elogium et verum, et grave ab *Hugone Grotio* meruerunt: *ut saepe optimi sint condendi iuris auctores, etiam tunc, cum mali sunt interpretes.* Sed hoc Decemvirorum dissimiles, quod illi Graecorum leges ad Romanam Rempublicam praecipue, *Accursiani* Romanas ad nostras res privatas accommodarunt. Praeterea, cum iidem in legum commentariis iterum innumeras factorum species confingant; Iurispru-

dentiam iterum in minutae diligentiae, quae diximus, mala conjiciunt. Extitit deinde in Italia *Andreas Alciatus*, quem deinde Galli summa cum laude sectati sunt; qui, sicut antiquae Iurisconsultorum sectae ab ipsis auctoribus habuere vocabula; ii itidem *Alciatiani* appellari deberent; et latinae, graecaeque linguae peritia, historiarumque Romanarum eruditione suam Romano Iuri luculentiam restituerunt. At ii potius leges Romanis suas reddiderunt; quam ad nos nostris rebuspublicis aptas apportaverunt. Quare in hac ipsa sua de iure privato prudentia, ut de privatis nostri temporis controversiis respondeant, vel decidant, *Accursianos* evolvunt, et ab iis aequi argumenta mutuantur. Igitur quando leges pro Reipublicae institutis condere, et interpretari necesse est; principio Regni constitutionem, seu *legem* illam *Regiam*, quae lata quidem non est, sed cum Romano Principatu nata, spectari, et doctrinam de Republica Monarchia optime Iurisprudentem tenere oportet. Deinde omnia pro Regni natura ad *civilem* ordinare *aequitatem*, quae Italis *giusta ragione di Stato* appellatur; et unis rerumpublicarum prudentibus gnara: quae et ipsa aequitas naturalis, et quidem amplior est; utpote quam non privata utilitas, sed commune bonum suadeat: sed quia id nec praesens, nec peculiare est; vulgus qui non videt, nisi ante

pedes posita, et particularium duntaxat intelligens, ignorat. Ad haec statuat, ea aequitatis civilis consilia optima esse, quae aequitatem naturalem quoque praeseferant: his illa proxima, quae etsi, uti a *Iustiniano usucapio* dicitur, *impia praesidia* videantur; tamen privato damno utilitatem publicam longe afferant ampliorem: postrema esse quae et civibus bono sint, neque Reipublicae obsint. Nam quae civibus prosunt, Reipublicae nocent, aequitatis naturalis, non civilis consilia sunt: quae vero et cives, et Rempublicam damno afficiunt, non consilia principatus, sed *dominationis flagitia* dicuntur, quibus mali Principes ius, fasque proculcant: et prius Regnum, tandem seipsos perdunt. Denique Principatus Romani originem, stabilimen, formam, auctum, statum, interitum contempletur, et ea omnia cum nostri temporis Regno componat; ut, an eaedem publicae utilitates consequantur, dispiciat. Tum, quanque definitionem ad Regni vim, et naturam referat; et cuiusque Romani iuris publicam aliquam caussam, quae necessario omnibus subest, vestiget; et quae iura privata ex caussa condita sunt, quae nostro Regno prosit, producat; quae non obsit, permittat; quae noceat, coarctet. Quid est Iustitia? constans communis utilitatis cura. Quid Iurisprudentia? Optimi Regni notitia. Quid Ius? Ars tuendae publicae utilitatis. Quid Ius, sive

Iustum? utile. Quid Ius Naturale? utile cujusque. Quid Ius gentium? utile Nationum. Quid Ius Civile? utile Civitatis. Qui fontes iuris? et cur ius naturae natum? ut homo quoquo modo vivat. Cur ius gentium introductum? ut homo tuto, et facile vivat. Cur ius civile constitutum? ut homo feliciter, beateque vivat. Quae summa lex, quam semper in aliis interpretandis sequi debemus? Regni amplitudo, Principis salus, gloria utriusque. Cur leges Furia Caninia, Aelia abrogatae? Cur sublatum ius latinae, et dedititiae libertatis? Cur omnes manumissi liberti Romani facti? ut Romani ingenui obsequio Principis firmarentur. Cur Dominorum saevitia in servos coërcita? ut ne porro foras erumpant, et audeant Principis potentiam attentare. Cur peculia filiisfamilias patrimonii iure permissa? ut mulcta quoque a delinquendo deterreantur. Cur legitimationes institutae? ut Patriciorum ferocia mansuesceret. Cur dominium ex iure Quiritium, et ius bonorum; usucapio in Italia, et longi temporis possessio in Provinciis olim distincta, nunc confusa? Cur omnes imperio Romano subiecti Civitate Romana donati? An quo sanctius fieret arcanum, posse a Provinciis Imperatorem Romanum eligi? An, quod verius, ut omnium aeque interesset, Imperium Romanum stare? Cur donationes insinuan-

dae? ne quis largitionibus turbida agitet. Cur aucta militum privilegia? quo studeant magis potentiae Principis. Cur fideicommissorum pudor abiit in iuris necessitatem? ut socii Populi Romani, successionibus Romanorum antea prohibiti, Romano Principe laetarentur. Cur adgnatorum, et cognatorum in successionibus sublata discrimina? ne qui antiqua, et perpetua potentiae, opumque laude ferocirent. Cur poenae exasperatae? quia, cum Princeps mortalis sit, acriori leges custodia indigent. Haec ego innatantia animadverti, ut huius Iurisprudentiae usus, et commoda digitum ostendens demonstrarem: et ne per exempla utilitates huius rationis singulas explicem, quod nostrae Dissertationis institutum non patitur; per transennam, ut aiunt, indicaverim cunctas. Videtis, Iurisprudentiam rigidam crescentis Reipublicae; mitem, et laxam decrescentis Imperii fuisse. Haec enim principio consilium fuit, quo Principatus Romanus invalesceret: deinde remedium, ut labascens consisteret: tandem malum, quo rueret. Nam sublato adgnatorum, cognatorumque discrimine, et iure gentilitatis extincto; e familiis patriciis et res effugit, et nomen evanuit, et virtus est resoluta. Tot in servos beneficiis collatis, ingenuus Romanorum sanguis sensim labefactatus, tandem corruptus est. Omnibus Imperio Romano subiectis Civitate Ro-

mana donatis, amor in patriam, et studinm Romani nominis in civibus indigenis extincta sunt. Iure privato tantopere promoto, cives nihil ius esse dein putarunt, nisi suam ipsorum utilitatem; nec ultra publici commodi studiosi. Romanorum, et Provinciarum iure confuso, Provincia in propria Regna, iam ante quam re ipsa invaderentur, abiere: et dissoluto tandem illo nexu, quo maxime Romanum Imperium auctum est; ut socii Populi Romani solam fidei laudem, Romanus autem Populus et nominis gloriam, et Imperii vim haberet; Romana Monarchia sensim debilitata, tandem distracta, et deleta est. Ita ut haec laxior Iurisprudentia et eloquentiae, et potentiae Romanae corruptae fuerit caussa potissima. Quare Princeps, si Regnum augeri velit, Leges Romanas ex doctrina civili iubeat interpretari: et Iudices ex ea lites iudicent: atque optimorum arte illa Oratorum, qua semper curant, ut possint; semper ac possunt, praestant; ut privatis caussis publicam agglutinent; Iudices, inquam, in partem maxime adversam utantur: illi nanque id faciunt, ut privatum ius vincat publicum: at ipsi faciant, ut publicum vincat privatum. Ita nanque cum maximo Reipublicae bono philosophia iuris, nempe doctrina civilis, iterum cum Iurisprudentia coniungetur: maior et gravitas, et sanctitas legum erit; eloquentia regno accommodata florebit: quae quan-

tum publicum ius privato dignitate, amplitudine, et gravitate praestat; tantum eloquentiae, quae nunc in usu est, antecellet. Nam Oratores, quo caussas obtineant, in eo totos fore necesse est, ut eas iure publico probatas esse confirment: et ita spectati in doctrina civili, politici ad ipsam Rempublicam gubernandam accedent. Scio equidem in nostro *Sacro Consilio Neapolitano* saepe lites contra Romanas leges, *EX CERTIS CAUSSIS*, ut eleganter habent in formulis, iudicari: et in summo Regni Senatu aequum civile naturali saepe in decernendo praeferri: sed id fit peculiari prudentissimorum sapientia Oratorum, et Iudicum: qui sane immortales non sunt. At si id ex instituto Regni fiat, cum summa Reipublicae utilitate perenne erit. Atque haec de Iurisprudentia in artem redacta, aliisque eius generis mihi in proposito argumento dicenda visa sunt.

Optimorum autem copia exemplorum potissimum videtur esse studiorum, quae imitatione constant, adjumentum. Neque enim, inquiunt, esset Virgilius, nisi ante fuisset Homerus; neque apud nostros Torquatus, nisi ante Virgilius. Et vulgo ferunt; *facile inventis addere.* Sed altrinsecus et id maximum est commodum, inventionum Praerogativa: et Iurisconsulti in definitionibus habent: *occupantium conditionem esse meliorem.* Nam quid aliud est, quod quam-

plurimis in rebus earum Inventores et tempore, et dignitate primi, atque adeo saepe soli extiterunt? Quid si optima artificum exempla dixerim, obesse potius, quam prodesse omni eius generis studiorum rationi? Mirum fortasse: sed certe verum. Nam qui optima nobis artium reliquerunt exempla, nullum exemplar ipsi antea, nisi Naturam optimam habuerunt. Qui vero optima opificum, ut pictorum, exemplaria sibi imitanda proponunt; meliora efficere nequeunt: nam quantum in natura boni erat, a prioribus in suo cuiusque genere exhaustum est; alioqui non essent optimi: aequare, tantundem; cum nec phantasiae vim, nec spirituum mobilitatem, et copiam, neque nervorum structuram, quibus a cerebro ad manum ferantur, neque tantundem exercitationis, unde eandem facilitatem habeant. Cum igitur nec superare, nec aequare possint; necesse est, ut in deterius vergant. Quod sane verum agnovit, et professus est *Titianus*: qui, dum Venetiis pingeret, a Francisco Varga, a Carolo V. Imp. ad eam Rempublicam Legato interrogatus: *cur tam pingui pingendi genere delectaretur, ut eius penicilli scopae ferme viderentur:* respondit: *quemque in arte, quam profitetur, aliquam excellentiae laudem spectare oportere: et illam imitatorum mediocri minorem esse. Itaque, quando Bonarota, et*

Urbinas, ille grandi, hic tenui picturae genere summum quisque occuparunt; se ab iis longe aliam iniisse viam, qua sibi aliquam nominis celebritatem compararet: Atque inde illud ego suspicor factum, quod, cum Hercules Pharnesianus, aliaque optima antiquorum opera sculptorum, non item Ialysus Protogenis, nec Apellis Venus ad nos pervenerint; in Sculptura multum desideretur; Pictura ad summum usque perducta est. Quod si haec non ita se habent, ut dixi; quid est, quod apud Graecos, Latinos, ac nostros (ut taceam de Historica, et Oratoria; quae ad Rerumpublicarum momenta convertuntur) in re Poëtica eadem lingua, religione, et studiorum ratione vigente, optimis minores fere semper successerint? Quamobrem optima artium exemplaria prorsus deleri necesse esset, ut optimos auctores haberemus. Sed quando id barbarum, et nefarium est; et paucis datum ad summa eniti; ea minoribus ingeniis serventur: qui vero beatissima indole praediti sunt, ea aspectu amittant suo, ut optimam Naturam cum optimis imitari contendant.

Typi autem non dubium est, quin nostrae studiorum Rationi magno sint adiumento: eorum enim beneficio iam illa declinavimus, quae antiqui perferebant, incommoda; ut ingenti aere, longisque itineribus manuscriptos codices per-

quirerent, exquirerentque; et tamen saepe iis eorum copia non fiebat; quod domini invidiosa illa frui laude vellent, ut apud ipsos unos autographa affervarentur. Iam ingenti copia, et varietate, ubique locorum, non Ptolemaeis Regibus tantum, sed cuivis privato homini, commodis pretiis dictis, prostant. Sed vereor, ne abundantia, et vilitate nimia, ut fieri solet, minus simus industrii: neve convivas imitemur, qui in lautis, opiparisque coenis cibos suetos, et boni succi amoveri iubent; et excuratis, ac minus utilibus se ingurgitant. At vero quum libri manu scribebantur, librarii, ut operae precium facerent, Auctores constantis famae exscribebant: eosque saepe quum caro venderent, studiosi sua ipsorum manu exscribere adigebantur: quo exercitationis genere mirum quantum proficitur! quia rectius meditamur, quod scribimus: atque adeo, quod nec perturbate, neque raptim, neque intercisim, sed placide, et perpetuo ordine scribimus. Ita nanque non perfunctoria notitia, sed longa nobis consuetudo cum ispis auctoribus intercedit: et per eam in ipsos puros putos transformamur. Atque hac de caussa pravi auctores scriptura frigebant: boni vero tanta cum utilitate celebrabantur. Nam magis argute, quam vere illud a *Verulamio* dicitur: barbarorum inundatione, graves Scriptores pessundatos; leves innatasse.

Etenim in omni doctrinae genere principes ad nos, optimique, Scripturae beneficio, pervenerunt, et si unus, et item alter exciderit, id fortunae imputandum. At mea quidem memoria, needum etiam senex haec scribo, Scriptores vivos hac frui laude vidi, ut eorum opera duodecim, et fortasse plus eo typis mandata sint: nunc vero non tantum cotemni, sed sperni quoque: alios diu incultos, et desolatos, tandem, aliqua ex obliquo occasione data, nunc a doctissimo quoque celebrari. Quin eruditissimos viros memini, quaedam literarum prorsus damnare studia: nunc, mutato iudicio, in iisdem totos versari video. Eius rei multae sunt caussae. Nam suus cuique aetati genius est: novitas, ut pulchritudo, commendat vitia, quae, exoleta aetate, insignia fiunt: Scriptores, qui repraesentatum studiorum fructum capere volunt, stylum tempori servant: et literae suas habent partes, obsequia, simultates: ac in literaria quoque Republica sunt, qui sua callent arcana potentiae: et adolescentes, quo magis modesti ac ingenui, eo magis creduli, et gravibus doctrina viris obsequentes. Quare lectionem cum saeculorum iudicio instituamus: et nostram studiorum rationem sub quadam regamus tutela; legamus antiquos prius: nam ii et fidei, et industriae, et auctoritatis sunt iam spectatae: atque ipsimet nobis sint normae, quos dorro ex recentioribus praelegamus.

Quod reliquum erat de Universitatibus Studiorum, mirum sane videatur, cur antiqui corporibus, ut ita dicam, studiorum Universitates fundarint, thermas, et campum; ubi adolescentes cursu, saltu, pugilatu, pali iactu, disci, pilaeque ludo, natatione, et balneis robusti, agilesque fierent: nec ullam, quibus animos excolerent, firmarentque, instituere cogitarunt? Si de Graecis sermo sit, id in caussa fuit: quia unus Philosophus absolutissima studiorum Universitas erat. Graeci nanque sua utebantur lingua; et ea sane, quae propagines tam beatas habebat, ut non solum ad omnia in medio civilis vitae posita, sed abditissima scientiarum, et artium elegantissimis vocabulis significanda aequa venere, et felicitate perduceret. Leges autem ipsi magis aliis nationibus dono dare, quam ullas peregre accipere solebant. Quibus rebus tantum caeteris se gentibus praestare existimabant; ut illa fastus plena interrogatione uterentur: *Graecus es, an barbarus?* quasi omnium Orbis terrarum gentium ipsi dimidiam, et meliorem partem valerent. Quumque haec ita essent; et praeterea unam philosophiam, omnium scientiarum, et artium parentem, obstetricem, alumnam excolerent; et de ea, non tam aliorum auctoritatibus, quam ipsis rerum argumentis dissererent; commode unusquisque philosophus res

divinas, atque humanas omnes sibi subjiciebat: atque ab eo uno auditores, quicquid in Republica sciri oportebat, perdiscebant. Romani autem, quamquam lingua praediti, quae externas haberet origines; eas tamen tam superbe fastidiebant, ut vocabulorum,

. . . *Quae graeco fonte cadunt, parce detorta*,

quasvis leves, falsas, ineptas; quam externas historias narrare mallent. Et quanquam Leges bona ex parte a Graecis accepissent; quia tamen ad suae Reipublicae formam sapientissime accommodarunt; eo pacto proprias effecerunt. Effectu itaque Romani, quod ad linguam, et Leges attinet, Graecis exaequabantur. Sed hoc Graecis minus Universitatibus egebant, quia in una Iurisprudentia Sapientiam, ut diximus, collocarunt: eamque ipsam usu Reipublicae edocebantur: et Patricii, ut potentiae arcanum, occultabant. Quare tantum abest, ut Romanis ulla Studiorum Universitate opus esset; ut nullam prorsus fundari interesset. At verso in Principatum statu, quia Romanorum Principum interfuit, Iurisprudentiae mysteria vulgari; et scriptorum multitudine, sectarum divisione, opinionum varietate eius doctrina amplior facta est; ad eam denique profitendam Academiae Romae, Constantinopoli, ac Beryti fundatae sunt. Quando igitur magis Universitatum nos

indigi, quibus Sacri Libri, et cum iis Orientales linguae, Canones Conciliorum, quae in aliis, atque aliis Asiae, Europae, Africaeque Nationibus, et urbibus ab Apostolis ad nos usque sunt habita; Romanorum, Largobardorumque leges, de Feudis Consuetudines, Doctrinae Graecae, Latinae Arabicae in nostrarum usus Rerumpublicarum importatae, sunt pernoscendae. Ad haec addas librariorum menda, librorum plagia, et imposturas, alienae manus irreptiones: quibus legitimos Auctorum partus vix agnoscimus, vix germanos sensus assequimur. Ita ut quum, quod nos scire oportet, tot libris contineatur, quorum linguae intermortuae, Respublicae deletae, mores ignorati, codices corrupti; una quaevis ars, scientiaque adeo difficilis facta est, ut vix singuli, ad singulas profitendas sufficiant. Itaque Studiorum Universitates nobis institutae sunt, et omni disciplinarum genere instructae, in quibus alii alias doctrinas, suae quisque scientissimus, tradunt. Sed huic commodo illud incommodum obiicitur; quod artes, scientiaeque, quas sola Philosophia uno tanquam spiritu continebat; hodie divisae, et distractae sunt. Antiquitus ita constabant Philosophi, ut non solum mores suae cuiusque doctrinae convenientes, sed ipsum disserendi genus accommodatum haberent. Socrates, quia *nihil se scire*

profitebatur, nihil quicquam ipse afferebat in medium, sed minutis interrogationibus, se a Sophistis velle discere simulabat: quibus datis, suas conficiebat inductiones. Stoici, quibus mentem veri regulam esse, et sapientem nihil opinari placebat; ipsi indubie vera pro suo iure sumebant: et ea, per vera secunda, tamquam per annulos, ad dubia usque catenabant: et sorite, suo telo utebantur. Aristoteles, qui et sensu, et mente verum dijudicari volebat, syllogismo utebatur: quo communiter vera dabat, ut in specie dubia sibi certa redderentur. Epicurus vero, qui sensibus notionem veri demandabat; nec dabat quicquam; nec accipiebat ab adversariis; sed res nuda, et simplici oratione explicabat. Hodie autem auditores, forte ducti ab Aristotelico in dissertatrice, ab Epicureo in physica, a Carthesiano in metaphisica eruditur: a Galenico discit Medicinae theoriam, e Chemico praxim: ab Accursiano Iurisprudentiae Institutiones, a Fabrista Pandectarum, ab Alciatiano Codicis libros praelegit. Et ita incondita, ac saepe perversa eorum institutio est; ut quanquam partibus doctissimi sint; in summa tamen, qui sapientiae flos esset, non constent. Quare, ut id videtur incommodum, vellem, ut Universitatum Antecessores unum omnium Disciplinarum systema ad Religionem, et Rempublicam accommodatum componerent, quod doctrinam usquequaque confor-

mem obtineret; idque ex publico instituto profiterentur.

Atque haec habui, quae de Nostrae Studiorum Rationis cum Antiqua comparatae commodis, incommodisque dissererem, ut nostra antiqua rectior, meliorque usquequaque esse possit. Quae meditata si vera erunt, jam meae fructum vitae omnem intercepero: qua semper studui, ut pro mea tenuissimi hominis virili parte humanam societatem adjuvarem: sin falsa, aut vana arguantur; honestum certe votum, et magnanimus conatus veniam promeruerint. Sed quis dixerit: magna subire pericula quum necesse est, magnanimitati ducitur; quum non oportet, temeritati. Quid tua, inquiet, eiusmodi argumenta, quae omnia sapiunt, disserenda suscipere? Nihil mea Ioh. Baptistae Vici; at mea multum eloquentiae Professoris: quando sapientissimi Maiores nostri, qui hanc studiorum Universitatem fundarunt, Eloquentiae Professorem omnes scientias, artesque doctum esse oportere, satis suo instituto significarunt; ut is anniversaria Oratione studiosam Iuventutem ad omnia scientiarum, et artium genera capessenda exhortaretur. Nec temere ter maximus ille vir *Franciscus Verulamius* illud Iacobo Angliae Regi dat de ordinanda studiorum Universitate consilium; ut adolescentes, non omni doctrinarum orbe circumacto, ab Eloquentiae studiis prohi-

beantur. Nam quid aliud est Eloquentia, nisi sapientia, quae ornate, copioseque, et ad sensum communem accommodate loquatur? Igitur ad quem Professorem auditores, nisi omnes scientias, artesque docti accedere non possunt; is ex sui vi muneris ignorabit? et qui adolescentes ad omnia disciplinarum genera exhortari debet; earum commoda, ut sequantur; incommoda, ut vitent, disserere non decet? Quare qui pro dignitate hoc gravissimum, et quod sentio meis humeris longe majus, sustinent onus mihi C. Cilnii Maecenatis, Crispique Sallustii, aliorumque deinceps, qui *equites illustres* dicti sunt, similes esse videntur: qui quanquam censum Senatorio longe ampliorem haberent; in equestri tamen ordine modestia consistere voluerunt. Igitur pro meo Eloquentiae Professoris jure, nedum officio, hoc tractandum sumpsi argumentum: neque ad id ulla alios obtrectandi, vel me ostentandi prava abduxit libido. Etenim, ut, *Aequanime Lector*, vidisti, ubi incommoda censui, Auctores praecidi: et sicubi eos appellare necesse fuerit, eos non sine summa honoris significatione, uti et me homuncionem, et illos tales, tantosque viros decuit, nominavi. Ipsa autem incommoda, per sedulitatem quanto potui majorem, attenuata, modestissime exposui. Nam ab ineunte pueritia eam mihi legem, quam imbecillitas humano generi sanxit, irrogavi; uti alios mea vellem, ita aliena

me peccata aequi bonique consulere: maxime ubi alii innumera, et maxima recte fecerint; et in minimis prave pauca: ego in nugis innumera fortasse peccaverim. Me vero in hac Dissertatione nihil omnino iactavi: idque adeo cavi sedulo, ut quanquam ea speciosum *Titulum* praeseferre posset; *De Recentiori, et Antiqua Studiorum Ratione Conciliata;* nihilominus maxime vulgarem concoepi: nam

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem velim. Mea autem circa id argumentum excogitata nullis magnificis ornavi verbis: ne iniuriam facere viderer tibi, *Erudite Lector*, qui tuo iudicio duceris: et ius esse tuum intelligis, de Scriptore in alterutram partem iudicare. Sed nonne replicaverit, id gloriosi est, quod dixerim, me novam rem in literarum Rempublicam apportare? Minime vero: nam novitas proprium laudis argumentum non est: ridicula enim, et monstra novitate consentur. Illud vero laude dignum, recte nova dixisse: quod ego tibi, *Lector*, communique eruditorum iudicio virorum permitto; a quibus profiteor, me nunquam esse dissensurum. Nam id in omni vita unum maxime formidavi; ne ego solus saperem: quae res plenissima discriminis semper mihi visa est; ne aut Deus fierem, aut stultus. Sed idem obiecerit, me satis rebus ipsis ostentasse magnificum, qui omnia sapientiae studia mihi subiecerim: et de iis, tanquam in

omnibus versatissimus, iudicia rotundo ore protulerim. Sed qui id obiicit, quae haec sint iudicia, quaeso, animadvertat: nempe, ut doctrina alia alii prosit, vel obsit; et qua ratione obesse non possit: quod iudiciorum genus, nisi qui

horum. . .nihil egregie, praeter caetera
. . .et tamen omnia haec mediocriter

studuerit, nemo recte praeterea proferre potest. Nam ita comparatum animadvertimus, ut qui in uno doctrinae genere omnem adiunxerit animum, omnemque vitam collocarit; eam artem scientiamque caeteris praestare omnibus, et cuique rei optimam esse existimet; et in quosvis alienissimos usus traducat: nostrae forsan imbecillitate naturae, qua ex nobis, nostrisque rebus delicias facimus. Quare ne falsa iudicia protulerim, si de omnibus, de Eloquentia vereor maxime; quia profiteor. Haec dixi ad obtinendam mei muneris, morumque meorum dignitatem. Si quis vero ipsis rerum momentis res ipsas reprehendat; gratias ei habuero maximas, si me ab aliquo errore deduxerit; aeque tantas, vel si voluerit.

Habita in R. Neap. Academia XV. Kal. Nov.

AN. MDCCVIII.

JOH. BAPISTTÆ VICI

DE

MENTE HEROICA

ORATIO V.

Ex Doctrina de Moribus.

Juvenes gloria, Viri potentia, Senes utilitate ducuntur.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI VIRO

COM. ALOYSIO THOMAE DE HARRACH

NEAPOLITANI REGNI

PRO REGE

MODERATORI

VIGILANTISSIMO INTEGERRIMO OPTIMO

QVI

QVATVOR GENEROSISSIMOS FILIOS

AD EGREGIAS PACIS BELLIQVE ARTES

MAIORVM ET SVO IN PRIMIS

HEOICO FINXIT EXEMPLO

HANC ORATIONEM

QVAE

STVDIOSAM LITERARVM IVVENTVTEM

MANVDVCIT

AD HEROICAM SAPIENTIAM

COMPARANDAM PRAECEPTIS

REGIA ACADEMIA NEAPOLITANA

OB PLVRIMA AB EO ET MAXIMA

BENEFICIA SIBI COLLATA

OBSEQVENTIS ET GRATI ANIMI

TESTEM D.

JOH. BAPTISTÆ VICI

DE

MENTE HEROICA

ORATIO V.

Quum in hac Regia Academia utilissimum institutum quotannis Literarum studia solemni ad vos, optimae spei Adolescentes, Oratióne habita, rite et ordine auspicandi satis diu siluisset; et huic nuper creato Ill. PRAEFECTO, viro usquequaque doctissimo, et in vestra Re Literaria augenda, quam qui maxime, effuso; id de more hac stata recurrente die in primis usurpari placuerit: me sane, qui tres supra triginta perpetuos annos eloquentiae Professoris munere in hac ipsa fungor, et severis meditationibus literariis sum pene absumptus, novum aliquod ad vos afferre argumentum omnino decet, non sententiarum calamistris, verborumque cincinnis juveniliter exornatum, sed quam maxime fieri potest, et ipsarum rerum pondere grave, et vestro uberrimo

fructu refertum. Quod, quia suapte natura est amplitudinis, splendoris, sublimitatisque plenissimum, in eo dissertando.

fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi;

et quia vos tantis promissis exciti in causâ, in qua vestra res agitur, iam ad attente ac benigne audiendum parati estis, in primo ingressu huius Orationis id dabo. In Literarum studia, Adolescentes ingenui, incumbendum vobis est, haud sane ob fines, quibus facile a vili vulgo sordidoque vincamini, ut ob parandas divitias; nec quibus a militibus, aulicisque longe superemini, ut caussa honorum, et potentiae; neque adeo quibus ducuntur philosophi, ipsius nempe Sapientiae desiderio, quo capti plerique omnes in umbra abditi omnem aetatem degunt, ut otiosi sua animi tranquillitate perfruantur. Aliquid est a vobis expectandum longe praestantius. Sed quid isthuc? mirabundus aliquis vestrum inquiet a nobis humana conditione maiora petis? Isthuc numero ipsum; sed ita maiora, ut sint tamen vestrae naturae convenientia. A vobis, inquam, est expectandum, ut Literarum studiis operam detis, qua vestram Mentem explicetis Heroicam; et Sapientiam ad Generis Humani felicitatem instituatis: quo consilio nedum divitiae opesque, vobis eas aspernantibus, affluent; sed ipsi honores et potentia, vos nihil tale curantes, ultro ambibunt.

Neque enim sine verbi delectu et pondere dixi, ut literarum studiis Mentem Heroicam explicetis. Nam si Heroës a Poëtis seu dicti, seu ficti sunt, qui divinum iactabant.

genus ab Iove summo;

humana certe Mens sine omni fabularum commento divinam habet originem; cui tantum deest, ut doctrina, et eruditione explicetur. Videte, quantum a vobis humana conditione maiora peto, ut postulem a vobis divinam prope vestrarum mentium celebrari naturam! Heros enim Philosophis definitur, qui sublimia appetit: sublimia autem iisdem ipsis sunt haec optima maxima: supra Naturam Deus; in Natura haec spectabilium rerum Universitas; in qua neque quid maius est, quam Hominum Genus, neque quid proinde melius, quam Generis Humani felicitas: ad quam unam uni unice intendunt Heroes; qui fama meritorum in Genus Humanum maxime pervagatà, qua per populos et nationes perstrepente voce *Cicero* eleganter Gloriam describit, nominis sibi pariunt immortalitatem. Itaque vestra vobis studia principio ad Deum Opt. Max. sunt dirigenda; deinde, prae Dei gloria, qui nobis in universum Genus Humanum diligentiam iubet, ad Generis Humani felicitatem. Quum haec igitur proposita exposita ita sint, eia agite, Adolescentes ad optima maxima nati, et Mente Heroica ad hanc Studiorum Universitatem animos Deo plenos appellite, ac proinde cunctis

terrenis affectibus defaecatos ac puros; et cum ingenti vestro profectu experiminor divinum verum illud: *Initium Sapientiae est timor Domini*: Mens enim, quae divinis rebus suapte natura infinitis, aeternisque oblectatur, non potest non agitare sublimia, non conari grandia, non efficere egregia: quare illa est persuasio minime temeraria, viros pietate insignes, ubi literis applicuerunt, non sine certa divina ope, ut *Caesarem Baronium Cardinalem*, aliosque quammultos cum mole, tum ingenio et doctrina admiranda Opera lucubrasse. Dum vero isthinc Mente Heroica Sapientiam e primo limine salutatis, magno animo contemplemini, quae heic vobis ob oculos sunt exposita. Qui gravissimi viri praeclaris distincti insignibus heic ab dextera consident, est Publica Eruditio, quam Augustus Caesar, Carolus VI. Austrius, Rex Hispaniarum vobis erudiendis heic habet instructam: ut quales virtute ad imperii Romani, Regnorumque tutelam fortissimos belli Duces per campos et acies sibi paravit: tales sapientia ex vobis in hac umbra comparet ad eorumdem beatitudinem: quo vos invitat et compluribus in vos legum irrogatis beneficiis, et praeclaris honoribus huic Palatinae Militiae vestra potissimum caussa collatis, studiosa literarum Iuventus, o spes altera Reipublicae, o altera praecipua Summi Principis cura: cui administrans qui pro Rege hoc Regnum summa virtute et sa-

pientia feliciter moderatur, Excell. Comes ALOYSIUS THOMAS DE HARRACH ita hanc studiorum Universitatem enixe fovet, eique ita prolixe favet, ut quod antea saeculo contigebat, is trium annorum spatio quinque ex hoc Consessu Caesari commendarit Antecessores, quos Regios Episcopos designavit. Quantum autem in his ipsis sit doctrinae instar, etiam atque etiam cogitate: omnium aetatum, omniumque doctarum gentium Principes in quaque scientia Scriptores quemque horum ex sua cuiusque facultatis vi mente condere, ut vobis non solum promptos habeant, et ad manum paratos, sed, ubi usus opusve iis videatur, ab se se praeterea explicatos, emendatos, et auctos: cui facultati quisque suae proluserunt periculosis solemnium Praelectionum intra brevissimas temporis angustias factis experimentis; quibus spectati in hunc Antecessorum Ordinem lecti sunt. Hinc intelligite, quo honore, quantaque veneratione vos eos prosequi oporteat: quod ab eorum laeva tot amplissimi Senatores adsideant; qua loci dignitate profitentur, se suam huic Publicae Eruditioni accepto referre sapientiam, qua praeclarissimos in Republica honores adepti sunt. Quibus argumentis plenissimis dignitatis magnum excitate animum; et magnanimitatis pulcherrimam illam notam ostendite, vos dociles, obsequentes, et gratos ab his doctissimis Antecessoribus castigari, doceri, corrigi; quod hi in hac, non so-

lum Italiae, sed totius ferme Europae splendidissima Urbe, vestram conditionem velint quam ornatissimam: et nunc patria pietate heic se vobis praebent, ut vos omnibus et cyclicis, et acroamaticis, quae usquam celebrantur, disciplinis instituant: nanque id est, quod haec vox *Studiorum Universitas* pollicetur. Et quidem certe ab his Doctoribus scientiae vobis omnes sunt perdiscendae. Etenim manca et debilis institutio literaria illa est in unam certam ac peculiarem disciplinam tota mole incumbentium: scientiae nanque eadem natura sunt, qua virtutes; de quibus *Socrates*, qui in placitis habebat, ipsas virtutes nihil aliud esse quam scientias, omnino negabat, uspiam unam esse veram, nisi ibidem ceterae omnes adessent. Quid? contraxistis frontem? an hoc dicto vestra ingenia deterrui? Iniuriam sane facitis divinae vestrarum mentium origini. Ne supina vota concipiatis, ut dormientibus vobis in sinum de Caelo cadat Sapientia; eius efficaci desiderio commoveamini, improbo invictoque labore facite vestri pericula, quid possitis; conaminor, quantum possitis: vestras in omnes partes versate vires: vestras mentes excutite; et incalescite Deo, quo pleni estis: eoque consilio, quod poëtis natura evenit, vobis ipsis mirantibus, divina ediderilis vestra ingeniorum miracula. Haec, quae dissero, Literati Itali momentoso illo, et ad rem, qua de agimus, ap-

posito verbo graviter luculenterque confirmant, quo quamque Studiorum Universitatem *Sapientiam* appellant. Sapientia *Platoni* definitur Hominis interioris purgatrix, sanatrix, consumatrix: Interior autem Homo mens, et animus est; utraque pars originis vitio corruptissima: mens ad verum facta falsis opinionibus, et erroribus aestuans; animus natus ad virtutem pravis affectibus, et vitiis excruciatus. Igitur hoc est huius Publicae Eruditionis propositum, ad quod oculos collimetis oportet; vos huc mente, animoqne aegrotos convenisse ob vestrae melioris naturae medelam, salutem, perfectionem. Neque enim haec, quae dico stultus aliquis derisor subsannet: nanque eorum, quae dico, eruditos omnes mihi habeo auctores illo a corporibus ad animos sapienter translato vocabulo, qno studiorum Universitates *Publica* appellant *Gymnasia*: quod, quia Antiquis nosocomia erant incognita, uti gymnastica, quae in thermis exercebatur, corporum, ita in studiorum Universitatibus vires reficiuntur, firmantur augentur animorum. Haec si cogitaveritis, ingens illud e vestris studiis emolumentum percipietis, vos Rei Literariae dare operam, qua velitis, non videri, sed esse doctos; quod a Sapientia desideretis curari, sanari, perfici; nam de omnibus aliis sive Naturae, sive Fortunae bonis homines sat habent videri; de una salute omnes se se esse revera sanos exoptant. Hoc fine, qui sapientiae proprius est,

vobis semel proposito, iam illi longe minores vestris animis excidant necesse est, divitiae nempe, et honores; et opibus aucti, honoribus cumulati non destiteritis fieri usque et usque doctiores; omnis fraus a vestris mentibus aberit, vanitas omnis, et impostura, quod non cupiatis videri, sed desideretis esse doctissimi: vos nec ulla afficiet in alios, neque adeo aliorum in vos perstringet invidia; qua utuntur, qua laeduntur opum avidi, honorum ambitiosi: et quae inter illos invidia est, inter vos fiet generosa aemulatio; quod id omnibus citra invidentiam commune bonum, ut sunt omnia divina, quia infinita, desideretis vestram mentium, ac proinde animorum a corporis contagione secretam φυσιοτητα. Nam quod curta contenti literarum suppellectile, non solum ineptam, perversam quoque etiam accusant hanc in Studiorum Universitatibus docendi rationem; ubi nedum alii alia, sive adeo eadem, alio tamen argumento, aliave methodo, sed saepe prorsus contraria doceant: Incommoda sane ratio; fatemur quidem: nanque optima perpetuo uniformis optanda esset: sed quando ea per rerum naturam ab tribus his pulcherrimis necessitatibus pernegatur, novis Inventis, novis detectis Veris, novis castigatioribus Curis; haec, quae ab istis accusatur, docendi ratio optima est; et ob tres has vicissim, quas affert haud spernendas utilitates: principio ne quis vestrum in ullius

magistri verba sacramento adigatur; quod plerumque fit in Scholasticorum disciplinis: deinde ne ullo Literarum Saeculo abripiatur, ut in privatis Gymnasiis; cuius fluxa studia ut cooriuntur, sic occidunt, et repente adulta, repente consenescunt; at literariae operae, quae immortalia opera efficiant, Aeternitati locandae sunt: postremo, quod ad nostrum argumentum in primis attinet, ut pernoscatis, ecquid boni aliae aliis disciplinis commodent, nam quaeque aliquid in se boni habet, ecquid omnes in ipsam Sapientiae Integrae summam conferant; ad quam capessendam, liberales Adolescentes, vos serio seduloque et moneo, et exhortor. Hac igitur potissima de caussa audite omnes disciplinarum Doctores, eo tamen, quod diximus, proprio Sapientiae proposito, ut eorum doctrinae curent, sanent, perficiant omnes vestrarum mentium, animorumque facultates. Et Metaphysica intellectum a sensuum carcere, Logica rationem a falsis opinionibus, Ethica voluntatem a pravis affectibus liberet: Rhetorica, ne lingua mentem, neve mens caussam aut prodat, aut deserat; Poëtica, ut effrenes phantasiae aestus temperet: Geometria ingenii errores contineat: Physica vero stupore vos excitet, quo defixit cum suis Natura miraculis. At enim non hi sunt amplissimi bonorum fines, quibus Sapientia beatur; proponite vobis, et expectate longe splendidiores. Studiis

nanque Linguarum, quas nostra Christiana Religio colit, ut suas cum praeclarissimis historiae universae populis sermones serite; omnium antiquissimâ cum Hebraeis; omnium elegantissimâ cum Graecis, omnium majestatis plenissima cum Latinis: quumque linguae sint ferme naturalia morum vehicula, Orientalibus, quae ad Linguae Sanctae captum sunt necessariae, ut ânte omnes Chaldaica, vos in urbe omnium maxima, Babylone Assyrii magnificentiâ, Athenis Graeci Attica vitae elegantiâ, Romae Latini animi altitudine imbuant. Lectione historiarum maximis Orbis terrarum Imperiis, quae unquam floruerunt, animis praesentes adeste: et ad civilem prudentiam exemplis firmandam, expendite origines, incrementa, status, devolutiones, et interitus populorum, ac gentium; et ut rebus humanis flagitiosa Fortuna superbe dominatur, ac super Fortuna ut Sapientia firmum, ac stabile regnum obtinet. At hercule illâ Poëtarum cum ineffabili, quia hominis maxime propria voluptate, qui suapte naturâ fertur ad uniforme, personarum in omni vitae genere sive moralis, sive familiaris, sive civilis ad ideam optimam, atque ob id ipsum verissimam graphyce descriptos observate characteres; ad quos vulgaris naturae homines collati, quia vitâ non constant, ubi non constant, ipsi potius falsi esse videantur: eaque ratione in praestantium Fabulis Poëtarum Humanam Naturam

vel in sua ipsius turpitudine pulcherrimam, quia sibi semper convenientem, sui semper similem, in omni sui parte decoram divina quadam mente contemplemini: uti Deus Opt. Max. Naturae Universae sive errantis monstra, sive malignae pestes in aeterno suae Providentiae Ordine et bona, et pulchra intuetur. Qui praestantes Poëtas ingenti voluptate perfusi, aeque tanta admiratione correpti legite sublimes Oratores, qui mira arte ad corruptam humanam naturam accommodata animos quantumvis obfirmatos, affectibus, qui a corpore commoventur, in prorsus contraria volentes contorquent: quod unus praeterea praestat Opt. Max. Deus, at per suas in immensum adversas victricium auxiliorum divinas vias, quibus hominum quantumlibet affectibus terrae defixas mentes caelesti voluptate ad se trahit. Ad haec humana accedant illa sublimia Naturae. Geographiâ magni itineris duce; cum Sole universam terram, et Oceanum ambite. Astronomiae observationibus Planetarum peragrate orbes, coecas ac sinuosas Cometarum explorate vias. Cosmographia vos sistat ad

flammantia moenia Mundi.

Tandem vos Metaphysica Naturam supergressa in beatissimos, interminatosque Aeternitatis campos educat; ubi in Divinis Ideis, quantum menti finitae fas est, et innumeras hactenus creatas videte formas, et quae deinceps creari possunt,

si, uti re ipsa non est, Mundus esset aeternus. Ita omnes humanarum, naturalium, aeternarumque rerum tres Mundos permeate: et doctrina, atque eruditione divinam ferme vestrarum mentium celebrate naturam. Nanque hae sublimes meditationes certo sperare jubent, fore, uti tam altos erectosque fingatis animos, ut omnes divitias et opes, omnes honores et potentiam quam profundissime infra vos posita despiciatis. Jam vero de Scriptorum delectu, quo ad Integram Sapientlam auditione acquirendam sequamini, sat vobis sapientes hujus Regiae Academiae Ordinatores suis legibus providerunt, juxta illud *Quinctiliani* monitum, *in disciplinis optimos esse deligendos;* ut de Theologia divinum utriusque Instrumenti Codicem, quem Ecclesia Catholica rite, ac recte interpretatur; ejusque ab Apostolicis usque temporibus perpetua Traditio solidis Historiae Ecclesiasticae monumentis graviter fideliterque custodit: de Jurisprudentia Corpus Juris Justinianei, Antiquitatum Romanorum locupletissimum testem, elegantiarum Latinae Linguae conditissimam penum, et sanctius legum humanarum aerarium: de Medicina in primis Hippocratem, qui immortale elogium meritus est, nec fallit quenquam, nec ab ullo unquam falsus est: de Philosophia Universa Aristotelem, aliosque praestantis famae Philosophos, ubi is deficiat: de caeteris disciplinis eiusdem amplissimi

census alios. Ad hos omnis memoriae Scriptores Principes porro legendos hi Antecessores doctissimi Commentariis suis, tanquam digitum intendentes vos dimittent instructos rationibus, ex quibus ii optimi in sua quisque doctrina extitere. Quod Commentariorum genus non solum vos illexerit, ut a vestris studiorum incunabulis diurna nocturnaque manu versetis optimos; sed illa investigatione caussarum, ex quibus ii extitere optimi, vos praeterea excitaverit, ut ideam perfectiorem fingatis; ad quam ipsi doctrinarum Principes compositi de exemplaribus fient exempla; ita ut super eorum archetypis eos aemulari, et superare quoque etiam possitis: qua ratione, nec certe alia scientiae artesve emendantur, augentur, perficiuntur. Neque enim veniâ digni sunt, qui in mediocribus, ne dicam, imae notae Scriptoribus legendis omnem literariam vitam contriverint; quos iis haec Publica Eruditio suis legibus academicis haud sane commendavit. Totum autem audiendi tempus nihil aliud agite, quam conferre quae didiceritis; ut quaeque inter se constent, et cuncta in quavis scientia consentiant: ad quod faciendum ipsa humanae mentis natura vos duxerit; quae uniformi, convenienti, decoro summopere delectatur; ut *Latini* sapienti vocabulo *Scientiam* appellasse videantur ab eadem, unde dicitur *Scitus*, origine, quod idem ac pulcher significat: quia, cum pulchritudo sit membro-

rum inter se, omniumque in áliquo praestanti corpore justus commensus; scientia nihil aliud existimari debet, quam mentis humanae pulchritudo: qua homines semel capti formas corporum vel maxime luculentas ne advertunt quidem; tantum abest, ut iis commoveantur. Isto conferendi firmato habitu, vobis parabitis facultatem scientias ipsas inter se conferendi; quae, tanquam caelestia membra divinum Sapientiae Integrae, ut ita dicam, corpus componunt. Quumque Ratio Humana *Pythagorae* sit haec ipsissima rerum spiritualium collatio, quam sive explicat, sive involvit exemplis numerorum; eo pacto Rationem Humanam Universam perficietis ad purissime, et candentissimae lucis instar; quae, quocumque mentis oculos convertatis, suos dirigit radios; ita ut omne, quod dicunt, *scibile*, omnesque eius partes quam bellissime sibi convenire, respondere, constare, tanquam in uno aliquo puncto, in unaquaque vestra cogitatione conspiciatis: quod est absolutissimum Integri Sapientis exemplar. Ad quamnam autem disciplinam egregie praeter caeteras animum applicetis, (nanque, ut sitis Reipublicae utiles, aliquam unam in ea profiteri vos oportet) ipse vos vester Genius edocebit voluptate, qua in illa praeter caeteras ediscenda perfundi sentietis: eo nanque criterio natura utitur, quae vobis in id a Summo Numine tutor datus est, ut sciatis, ibi volentem lubentemque vestram esse

Minervam. Quod consilium cum sit naturâ tutissimum; mihi tamen, qui vos ad optima maxima hortor, haud splendidissimum esse videtur. Saepe enim in homine optimarum maximarumque rerum facultates insunt ita abditae, et consopitae, ut vix ac ne vix quidem ab earum compote sentiantur. *Cimo Atheniensis*, est vulgatissima historia, homo sane plumbeus, adolescentulam efflictim deperibat; quumque haec ei joco, tanquam rem illius natura negatam dixisset, se eum, cum militum centurio factus esset, amaturum; homo militiae nomen dedit, et in belli ducem praeclarissimum abiit. *Socrates* ingenio ad flagitia impense proclivi natus erat: sed divino quodam conatu ad Sapientiae studium conversus, primus Philosophiam de Caelo revocasse dictus est, et omnium Philosophorum Parens appellatus. Cum quibus veterum recentia componamus exempla praestantium virorum, qui mira sua sibi ignota ingenia alienâ sapientiâ experti sunt. *Julius Mazzarinius Cardinalis* de se forensem operam, gregarium militem, privatae fortunae aulicum praebuerat: at per alias ex aliis civilium agendarum rerum occasiones natas, et ab amplissimis viris imprudenti objectas sapientissimus vir politicus factus est; qui apud Ludovicum XIV. Galliae Regem particeps secretorum, perraro magnae fortunae exemplo in longa potentia obiit. *Franciscus Guicciardinius*, in Romano foro

Jurisprudentiam profitebatur: at a summis sui temporis Pontificibus ingratiis, atque adeo invitus compluribus Pontificiae ditionis Urbibus Prefectus impositus, cum per occasionem Gallici belli, quo Carolus VIII. Italiam omnem concusserat, complura cum Gallis gravissima e bello nata negocia Summorum Pontificum mandatis transegisset; ea de causa ad res Italiae sui temporis scribendas animum adjunxit; et Italicae Linguae Historicus omnium facile Princeps extitit. Quapropter quoquoversus mentis oculis circumspicite; quoquoversus ingenia circumagite; abditas et abstrusas vestras facultates scrutaminor, ut vestrum ignotum forsan splendidioris naturae Genium agnoscatis. Ita *Universo Scientiarum Orbe* circumacto, quam potissimum delegistis, eam altiore, quam ipsi viri docti faciunt, animo profiteamini: non tantum (paucis exemplis totum genus complector) Medicinam ut bene morbos curetis; Jurisprudentiam, ut sapienter de jure respondeatis; Theologiam, ut divinarum rerum rectam doctrinam custodiatis: sed quo ingenti animo, sublimique arte vobis auditio, lectioque praeiverint, eopse animo, eapse arte sequatur necesse est lucubratio. Ea nanque Scriptorum Principum perpetua sic audiendo, sic legendo firmata consuetudo egregiae naturae sponte vos duxerit, ut eos ipsos in lucubrando judices vobis semper praesentes adhibeatis: et illud a

vobis-metipsis identidem sciscitemini, Medici, (propositis exemplis insistam) quid, si haec, quae meditor scriboqne, ipse audiret Hippocrates? Jurisconsulti illud, quid, si haec audiret Cujacius? Illud Theologi, quid, si haec Melchior Canus audiret? Nam qui Scriptores, qui temporum vetustatem pertulere, sibi censores proposuit, non potest opera lucubrare, quae non reliqua Posteritas admiretur. Grandibus his gradibus, quibus in via Sapientiae grassemini, facile vobis erit ulterius progredi, ut non unus aliquis vestrum dixerit

Avia Pieridum peragro loca:

et ab aliis praestantissimis ingenio, et doctrina viris aut ardua frustra tentata perficiatis, aut hactenus intentata conemini: vos, Medici, (propositis exemplis rem peragam) historiis, observationibusque medicis undique collatis, alios aphorismos decernere; quae duûm millium, et plus eo, annorum gloria adhuc apud unum perstat *Hippocratem*: Jurisconsulti, nominum Juris definitionibus, qua scientia *Æmilius Papinianus* Jurisconsultorum Princeps habitus est, et *Jacobus Cujacius*, vel maxime florente Eruditorum Juris Interpretum saeculo sese supra omnes efferebat, Universam Jurisprudentiam per Corollaria complecti: quod praestantissimum opus ut aetate, ita Juris sapientiâ grandis *Antonius Faber* in sua *Jurisprudentia Papinianea* aggressus

est; at sive in progressu difficultate deterritus, sive morte occupatus non absolvit: Theologi, Philosophiae Moralis super Christianae Doctrinae Principiis Systema condere; quod *Sfortia Pallavicinius Cardinalis* magnanimo ausu tentavit; de eadem re *Paschalius* sapientissima quidem cognitu, sed sparsa edidit; *Malebranchius* in ipso conatu defecit. Legite magni *Verulamii* aureum *de Augmentis Scientiarum*, et, si nonnulla excipias, semper suspiciendum, et ob oculos habendum librum; et considerate, quantum *Scientiarum Orbis* restet adhuc corrigendum, supplendum, detegendum! Neque vero vos incautos iste sive invidus, sive ignavus circumveniat rumor; hoc beatissimo saeculo, quae in Re Literaria effecta dari unquam potuerant, jam omnia absoluta, consummata, perfecta esse, ut in ea nihil ultra desiderandum supersit. Falsus rumor est, qui a pulsilli animi Literatis differtur. Mundus enim juvenescit adhuc: nam septingentis, non ultra ab hinc annis, quorum tamen quadringentos Barbaries percurrit, quot nova Inventa? quot novae Artes, quot novae Scientiae excogitatae? Acus Nautica, Navis solis instructa velis, Tubus Opticus, Turricelli machina, Machina Pneumatica Boylis, Sanguinis Circulatio, Microscopium, Tubus Arabum stillatorius, Arabicae Numerorum formae, Informia magnitudinum genera, Pulvis pyrius, Tormentum belli-

eum glandignivomum, Tholus templorum, Typi literarii, Charta lintea, Horologium: singula quaeque optima maxima; et omnia Antiquis prorsus incognita. Unde ortae nova navalis, et nautica, quibus, novus Terrarum Orbis detectus, et geographia mirum quantum! adaucta; nova astronomiae observata; novae temporum rationes, nova mundana, nova mechanicae, nova phisicae, nova medicinae systemata; nova anatome; nova spargirica, Galeno tantopere desiderata; nova geometriae methodus, et arithmetica facta longe expeditior; nova bellica; nova architectura: tanta librorum facilitas, quae vilescit, tanta copia, quae fatiscat. Quomodo tam repente Humani Ingenii natura effoeta est, ut alia inventu aeque egregia sint desperanda? Ne despondeatis animum, generosi Auditores; innumera restant adhuc, et forsan his, quae numeravimus, majora meliora. In magno enim Naturae sinu, in magno Artium emporio ingentia Humano Generi profutura bona in medio posita sunt; quae hactenus jacent neglecta, quia hactenus ad ea Mens Heroica animum non advertit. *Magnus Alexander* in Ægyptum delatus uno suo magno oculorum obtutu Isthmum vidit, qui Erythraeum a mari Mediterraneo dividit, et qua Nilus in Mediterraneum effluit, et Africa Asiaque continentur; et dignum reputavit, ubi suo nomine urbem fundaret Alexandriam; quae statim et Africae, et

Asiae, et Europae, totius Mediterranei maris, et Oceani, Indiarumque commerciis celebratissima fuit. Sublimis *Galilaeus* Venerem corniculatam observavit; et de Mundano Systemate admiranda detexit: Observavit ingens *Chartesius* lapidis a funda jacti motum; et novum systema Physicum est meditatus. *Christophorus Columbus* ventum ab Occidentali Oceano in os sibi adspirantem sensit; et eo *Aristotelis* argumento, ventos a Terra gigni, alias ultra Oceanum esse Terras conjecit, et novum Terrarum Orbem detexit. Magnus *Hugo Grotius*, unum illud *Livii* dictum, *sunt quaedam pacis, et belli jura*, graviter advertit; ac *de Jure Belli, et Pacis* admirabiles libros edidit; a quibus si aliqua expunxeris, incomparabiles non immerito dixeris. Quibus illustribus argumentis, quibus exemplis amplissimis, Adolescentes ad optima maxima nati, Mente Heroica, ac proinde magno animo Literarum studiis incumbite; Integram Sapientiam excolite, Rationem Humanam Universam perficite: divinam fere vestrarum mentium celebrate naturam: aestuate Deo, quo pleni estis: sublimi spiritu audite, legite, lucubrate: herculeas subite aerumnas; quibus exantlatis, ab vero Jove Opt. Max. vestrum divinum genus optimo jure probetis: atque adeo vos Heroas asserite, aliis Genus Humanum ingentibus commodis ditaturi. Quae amplissima in Universam Humanam Societatem merita facili nego-

cio et divitiae, et opes, et honores, et potentia in hac vestra Republica consequentur: quae tamen si cessaverint, non manebitis: et cum *Seneca* aequo animo, hoc est, non elato, si advenerint, excipietis; nec demisso, si abierint, resignabitis stultae furentique Fortunae: et contenti eritis eo divino, et immortali beneficio, quod Deus Opt. Max., qui nobis, ut principio diximus, in Universum Genus Humanum diligentiam jubet, vestrûm aliquos praecipuos delegisset, per quos suam in Terris gloriam explicarit.

Habita in R. Neapol. Academia XIII. Kal. Nov.

AN. MDCCXXXII.

JOH. BAPTISTAE VICI

IN CAROLI

ET

MARIAE AMALIAE

Utriusque Siciliae Regum Nuptiis

ORATIO VI.

Si unquam Divina Providentia ex omnibus rebus humanis, quas aeterno consilio regit, ac temperat, Conjugia potissimum certo suo unius Numine moderari ab Humanitate usque condita miris rerum argumentis ostendit; nunc profecto, quum Augustas Caroli Borbonii, Regis Optimi, Mariaeque Amaliae Walburgae, Regiae Puellae lectissimae Nuptias conciliavit, omnium maxime praestitit. Ingens enim bellum de Polonorum Rege creando ab hinc quinquennium exarsit; quod ab Occidentalis Oceani littoribus ad Sarmatas usque, et Scythas Terrarum Orbem concussit; cum pro Stanislao Leszinskio, Ludovici XV. Socero, ad id

Regnum reducendo Gallia, Hispania, bellicosior Italia niterentur; Carolus autem Austrius, Romanorum Imperator, Universum ferme Germanici Imperii Corpus, Polonia in partes divisa, Moschoviaque Fridericum Augustum, Saxonum Ducem, Imperiique Novemvirum, mortui Regis filium ad id summum fastigium evehi oportere contenderent. Triplex belli moles, una ad Rhenum, alia in Mediolanensis ditionis finibus, postrema ad Dantiscum gravissime incubuit: quarum unaquaeque ad se cunctarum gentium oculos animosque advertisset; nam et cruentissima praelia commissa, et invictarum urbium, arciumque expugnationes editae, et costantissimarum in fide civitatum deditiones expressae: quumque amplissima caussa esset omnino individua, et nationum, quae hinc atque hinc in arma concurrerant, ferme integrae vires, ita, ut omnes constans metus incesserit, ne id bellum, si diutius traheretur, genus humanum exhauriret; praeter omnium opinionem pacis foedus in has praecipuas leges sancitum est, ut Fridericus Augustus Polonorum Regno praeesset, Leszinskius Lotharingiae Dux viveret. Inter ejus belli appendices et illa extitit quoque mira, quod, dum in Insubria a Gallis, Sabaudisque contra Germanos acerrime pugnabatur, Carolus Borbonius, Hispani exercitus Imperator, vix pubes factus, in in hac reliqua Italiae parte, Insulaque Sicilia,

tanquam belli fulmen emicuit detonuitque; et aequo copiarum numero cum hostibus pugnam ad Bituntum conseruit; deque iis perraram in historiarum monumentis victoriam reportavit; qua octo millium Germanorum exercitus ad unum usque fusi, captique, et quadrigenti omnino Hispani milites desiderati. Sed enim illud omnium vota, nedum spes superavit, quod Borbonius Princeps paucis ante diebus Neapolim urbem ingressus, dum Capuae, et Cajetae, firmissimis Neapolitani Regni claustris hostes et numero, et robore haud sane spernendi praesiderent, eorumque Exercitus Calabriae, Apuliaeque campos libere persultaret, is a diligentissimo Parente PHILIPPO V. Hispaniarum Rege certus propriusque Rex Neapolis, Siciliaeque appellatur, et haec duo opulentissima Regna ab Hispana Monarchia, quacum ab Ferdinando usque Catholico coaluerant, abstracta sunt. Interea, dum adolescens Princeps, utroque Regno per summam gloriam pacato, ad justam legitimamque virorum aetatem ferme provectus, Reginae uxori, quae hanc felicitatem subjectis populis Regia Sobole perennaret, jungendus erat, alii alias ei Conjuges Reginas opinionibus destinabant, nemo omnium sane unus MARIAM AMALIAM WALBURGAM, Polonorum Regis filiam conjicere, quam ei fortissimus, ac sapientissimus Rex PHILIPPUS Pater despondit. Haec tam rara, tam mira, tamque

inopinata, quae in hoc regium Nuptiarum opus, veluti praeeuntes caussae, tam commode apteque congruerant, quum ea persuasio cunctarum gentium animis insideat, Divinum Numen peculiari cura Regum rebus adesse, satis graviter adfirmant, hoc Augustum Conjugium a Deo Opt. Max. esse curatissima industria comparatum, primum, quod hoc Regale Par Conjugum summis laudibus ex aequo sibi utrinque respondentibus ornatissimum Divina Bonitas Terris monstrare voluerit: deinde, quod (si hebeti hominum menti Divina Consilia in sacris aeternae lucis penetralibus abdita scrutari quandoque datur), laetissima hinc omina capimus, AEternam Providentiam has Regias Nuptias bene fauste feliciterque adornasse, ut Socer, Generque inclyti, alter terra, marique alter barbaro Mahometanorum Domino ingentes clades inferrent, et Carolus Borbonius Hierosolyma puro ac pio bello repeteret, et ejus Regni uti Rex jure praescribitur, ita possessione compos fiat: circa quae duo Summa Capita, veluti polos, nostrae Orationis Orbis circumagetur: id vero cuiusvis facile videre datur, quum in numeroso ovium aequae aetatis, ejusdemque coloris grege, quarum, ut Pastor aliquam distinguat, ipse eam certa nota insignire debet, lactentes hoedi suam quisque matrem agnoscunt. Haec autem sensilium formarum similitudo in hominum genere tam rara

est, ut fratres gemini, quos vel longa et multa cum iis vitae consuetudine quis internoscere vix possit, in suis familiarum deliciis a summis Proceribus habeantur; et tamen haec tanta, ac tam rara corporum similitudo diversa eorum ingenia, studia, mores edere comperitur. Has ine haustas Naturae opes Deus O. t. Max. Naturae dominus, architectus, et arbiter sua Divina Unitate vicit ac superavit, quum Regias CAROLI, et AMALIAE Nuptias ab omnium temporum principio, Aeternitate decrevit. Decrevit nanque generis amplitudine pares, conjugali aetate pares, praestantia corporis, animique virtutibus pares. Et vero utriusque Regii Conjugis genus tanta luce juxta inclytum, tantoque splendore est aeque circumfusum, ut, utrum al ero sit praeclarius, nequeas definire. Gens enim BORBONIA a Carolo Magno ducere originem memoratur, qui Romanum Occidentis Imperium a barbaris gentibus jamdiu excisum restituit; eoque egregio et immortali facinore Temporum Doctrinae post Cyrum, Alexandrum, Julium Caesarem aliud grande Historiae momentum adjunxit, unde Orbis Terrarum res gestae per longissima mille ferme annorum spatia ad hanc nostram usque aetatem procurrunt. AMALIAE autem Majores Romanos fasces, qui gentes omnes devictas, perdomitasque terrebant, intra fines suos nunquam viderunt: nam sub Trajano, postremo Imperatorum, qui

Romani Imperii fines protulerant, Germania, quanquam ducentos et decem annos Romanis armis tentata, in ea tamen sui parte, quae gignit Saxones, ut eam Oraculum Historicorum describit, adhuc integra perdurabat. At hercule (liceat heic pauca tenuiter dicere, ut magna atque magnifica Saxoniae Ducum gloria luculentissima intelligatur) at hercule, inquam, gravissimum argumentum, Saxones fuisse antiquos Cimbros docet, quod Saxonica lingua Cimbricae quam simillima esse observetur; et Cimbri praeclaris Geographis *Theutones* dicantur, a quibus nomen in universam Germanorum gentem diffusum est; atqui omnium gentium mores probant, populos principes nationibus nomina propagare, et observare licet, principes gentium urbes, uti Saxonum Regia, in Terrarum meditulliis sitas esse. Theutonicae autem Linguae tanta antiquitas praedicatur, ut, quum ejus Auctor Theutonis *Mercuriman* appelletur, Gentiles Scriptores patrio studio commoti, Mercurium Trismegistum, qui Aegyptiam gentem, omnium antiquissimam condidit, Gothum fuisse commemorent. Sed id ipsum multo gravius veriusque firmassent, quod, cum Trismegistus Aegyptia lingua *Theut* dictus sit, et Germanica omnes verborum radices unisyllabas habeat, *Theut* Germanicam Linguam fundasse, idque verbum a Confusione Linguarum Babylonica, et primaeva Generis Humani post Diluvium

dispersione et Germanis, et Aegyptiis idem omnino provenire confecissent. Hanc Saxoniae Ducum cum ipsis Primis Gentibus domi occoeptam, et ad nostram usque tempora perpetuo servatam Libertatem cum Romano Occidentis Imperio per Carolum Magnum restituto si quis conferat, et aequa lance utrumque Primae Originis decus expendat; ab utra major dependeat gloria, is procul omni dubio non liquere pronunciaverit. Hanc aequam Originis amplitudinem quam belle Conjugalis aetatis Aequalitas excipit! Nanque AMALIA nunc primulum viripotens facta, et CAROLUS virilibus annis proximus Nuptias Romano more contraxerunt. Gens enim Orbis Terrarum domina caeteras omnes armis vicit, quia omnes civili sapientia superavit; cujus institutiones, non in Philosophorum scholis, sed domi a familiari Prudentia tradebantur. Quum enim ex Familiis Civitates coortae sint, ex Familiis recte institutis Respublicas recte ordinatas provenire necesse est. Inter caeteros autem domi probatos mores is erat a Majoribus sancte traditus, ut tenerae adolescentulae uxores, et quamprimum sumpta virili toga mariti, principio matrimonium necessarium Naturae propagandae ministerium putarent, veneremque sentirent magis, quam intelligerent; qua una re nullas amoris ex opinione delicias, quae vigentiorem vitae partem transversum agunt, nequiter concupiscerent: deinde, ut quam per-

fectos conciperent foetus, uti novellae plantae fructuum primitias jucundissimas visu, gustatu suavissimas reddunt. Regale vero Par Conjugum praestanti corpore quam spectandi! Amalia enim forma honesta ac liberali non quotidianas modo vincit, sed ipsas luculentas exsuperat; quae, ubi in frequentissimis hominum celebritatibus prodeunt, omnium in se obtutus defigunt, ita ac si alias formosas feminas, quae eodem forte conveniunt, nox obscura contegeret: vultu praedita tam modesto, tam venusto, ut verecundae Charites ipsius faciem semper aliam atque aliam pulcherrimam fingant: sed et in facie, vultuque, et in statu, et in incessu splendor quidam regius eminet, quo, sine regio cultu, sine regio comitatu, in solis locis sola vel agricolis, vel a pastoribus, qui formarum nullum habere solent arbitrium, agnosceretur Regina. Sed quando viri uxoresque sunt generis humani Elementa, bene sane discordia mire concorde tenella Amalia Carolo juncta est, qui a puero corporis robur praeclara exercitatione firmavit; quum ab amantissimorum Parentum complexu Gloriae manu divulsus, ab ultima Hispania impeditissimos Pyrenaeos saltus, nivosasque Alpes trascendit, periculosissimam hyberno mari navigationem perpessus, tandem sub armis asperos, praeruptosque Appeninos media hyeme superavit; et progressus, quantum reliqua Italia porrigitur,

in ultimam ferme Siciliam, Panormum contendit, ut ibi victor Regio Insigni rite solemniterque redimiretur: quam laudem, ut Regina Uxor cum Regio Viro aequam quodammodo haberet, Summum Numen quoque providit: nam ferme puella e Parentum diligentissimorum sinu, ut heroico ritu nubentes, grata jucundaque vi abrepta e patriis penatibus, non gestatoria sella, ut plures sponsae Reginae ad viros vectae; sed cisio, equisque per certa longissimi itineris spatia dispositis mille et ducenta passuum millia per ingentes silvas, saltus, montes, fluminaque intra mensem ferme unum emensa, contento cursu ad nuptialem thalamum delata est. Neque vero a corporis robore in Carolo, quae in feminis pulchritudo dicitur, et laudatur, Dignitas, proprium virorum decus sejungitur. Is enim, ubi equitans in amabilem ferociam componitur, dignus armorum Imperator conspicitur; quum in regia sella praesidens desideria civium audit, Rex ad regnum, nedum natus, factus videtur; quando stans in regali solio Proceres ad manus adorationem admittit, vivum in Terris Dei Simulacrum refert. Illud postremo mirandum maxime, quod haec duo castissima corpora Divina Providentia Cajetae conjungi voluit, ut quod in totius Mediterranei maris ora omnium firmissimum situm oppidum Carolus victricibus armis recepit, ibi prima Veneris sacra perageret, et inter suae mi-

litaris virtutis obversantes imagines bellatricem fingeret sobolem. Demum qui Regii Conjuges praestanti Corporis forma pariter praediti, quantum egregiis animi virtutibus similes! Atque hoc loci innumeras praetermitto, easque duntaxat operae pretium exequi arbitror, quibus viri feminarum laudes tam raro assequuntur, ut muliebris sexus propriae vulgo esse dicantur, religio, pudicitia, misericordia. Et sane quidem Caroli eximia in Deum Opt. Max. Pietas est plane admiranda; qui in humano Regum fastu, humanisque deliciis divinam ferme vitam agere visus est. Hinc illa ipsius Pudicitia omni laude ac praedicatione dignissima; qua in Juvenis, atque adeo innupti Principis, et a Parentum ore per immensum terrarum orbem divisi aula nihil, nisi castum, purum, sanctum, intemeratumque versatum esse memoretur. Quin, quo cives laxandi animi gratia solutiores conveniunt, in theatro, quod omnium Europae magnificentissimum extrui jussit, theatralem plausum alioqui, nedum permissam, sed expetitam licentiam sua severa praesentia coercet, ac spectatoribus silentium, Philosophorum Scholis dignum, indicit. De tertia ex modo numeratis virtutibus superest, ut dicamus: quod quae in aliis Principibus summis Clementia commendatur, ea in nostro Misericordia est: siquidem meritis ad Caelum laudibus effertur illa Imperatoris Romani

vox, quum primam sententiam, qua reum supremo supplicio affici oportere Judices pronunciarent, subscribere debuit, literas didicisse se poenitere adfirmavit: at CAROLUS, si quando quid ejus simile a Magistratibus imperare rogatur, sedulo eorum ad se accessum declinat; ubi autem id facere a sua ipsius dignitate prohibeatur, ad Proceres, qui forte adsunt, obtutus veluti rogabundos convertit, taciteusque significat, uti decretam damnato poenam deprecentur. Satis, ni fallor, simplici modoque dictionis genere est hactenus demonstratum, Deum Opt. Max. uni utriusque Regii Conjugis Fato imperasse, ut iis amplissima Origo, praestantissima Forma, praeclarissima Virtus pares omnino contingerent; qui Regios Liberos Origine generosissimos, Forma amabilissimos, Virtute optimos gignerent perpetuae Neapolitanae Gentis Felicitati. Et sane has Regias Nuptias Summus rerum Regnator bonas, faustas, felices praesentissimo Numine adprobat. Tellus enim et in jacentibus campis, et in montanis hoc ipso Nuptiarum tempore messem abundantissimam tulit: tetra bovum lues ad duos perpetuos annos longe lateque grassata, quum Regina iter huc institueret, tunc tandem desaevit: ipsum anni tempus commodum ei, benignumque se praebuit; quae a rigentibus Germanie oris sub hoc aestuosiori caelo, non sine aliquo salutis discrimine tenella,

et longo itinere lassata erat prima aestate commigratura, crebi Junio mense demissi imbres advenienti supremum ver quodammodo prorogarunt: Divus Januarius, praecipuus hujus Urbis, Regnique Patronus; cujus honori Rex insigni pietate Militarem Procerum, Principumque Virorum Ordinem instituit, suo mire liquescente Cruore, quod optabatur, hoc superiore mense Majo, felicitatis signum ostendit. Quibus laetissimis ominibus augemus animos, nec promiscua, et, ut ita dicam, tralatitia Regnorum bona ex his Regiis Nuptiis certo speramus, sed ut earum caussae, quas principio exposuimus, sunt, quam quae maxime, mirae; Conjugum laudes aliis pares perquam raro contingunt; ita gloriam inde orituram singularem fore confidimus; quod alterum dicendorum caput initio proposuimus. Jam enim ex rerum gestarum monumentis compertum exploratumque habemus, Polonorum Reges magno Turcarum Domino, communi Christiani Nominis hosti terrestribus copiis non modo fortissime obstare, sed saepe etiam infestissime officere. Quid autem Neapolitanus Rex classibus in eum possit, Rogerius, nostrorum Regum Primus gravissimum luculentissimumque dedit exemplum; qui maritimo bello in Asiam trajecto, praeclarissimas Graeciae urbes expugnavit, et ex ipsa Constantinopoli, ejusque Imperiali Praetorio opimas praedas avexit; universoque

Orienti tantum terrorem incussit, ut Babylone usque ejus Incubator ipsius amicitiam per Legatos oratum miserit: quae gloria ab Indis Octavio Augusto Caesari, cum Romanum Imperium longinquo amne Euphrate clausisset, iisque esset ferme conterminus, fortasse minor contigerat; complures Saracenorum in Africae ora sitas urbes cepit, earumque Regi tributum imposuit. Consecuti porro Reges, Northmanni a Suevis, deinde Suevi ab Andecavis; tum Andecavi ab Aragoniis, rursumque Aragonii ab Andecavis infestati, imperium in Asiam Africamque proferre, et constabilire nequiverunt. At enim CAROLUS, Hispania Galliaque adgnatis, et non solum Germania, Polonia quoque adfine, inferendi in Asiam belli securam facultatem hoc Augusto Matrimonio nanciscitur. Insula Sicilia ei paret; Neapolitanum Regnum ab tribus lateribus mari, ut peninsula, alluitur; qui urbium regionumque situs eos civiles mores indigenas induunt, ut nautica et navali artibus praestent: etenim ab ultimis usque Generis Humani temporibus id ipsum Gentium mores confirmant: Tyrii, antiquissimi populorum Tyro Insula Colonias per universum ferme Mediterraneum mare, et ultra Herculis Columnas in Oceanum Gades deduxere: ea gloria deinde ad Rhodios transiit; quorum de maritimis commerciis leges Romanum Imperium, dum universo Terrarum Orbi dominabatur, agnovit: Ba-

tavia, Britanniaque totius Interni, Externique maris potentes nostris temporibus celebrantur. Neapolitanus autem ager materiam ingentium aedificandarum, instruendarumque classium gignit; Gens vero audacissimos nautas educit; portus in utroque ejus littore benignissimi, et capacissimi, Misenensis in infero, Brundusinus in Supero mari patent; quibus Italia ad futuram Imperii Romani magnitudinem Straboni nata esse visa est; ut eorum altero in Africam, altero in Orientem ingentes exercitus brevissimo cursu traiiceret. Neque illud obturbat, quod ita sit moribus comparatum, ut ubi plurimum naturae, ibi mininum sit industriae; et magna Regni Neapolitani opulentia segniores incolas faciat: nanque ei rei jam Carolus sapientissime providet, certo prudentum virorum Consilio constituto, qui de externis, et potissimum maritimis commerciis leges concipiant; jamque aliunde effusa in bonas Litteras liberalitate et munificentia, qua et Regias Scholas militum castris foede pollutas pristino nitori, ac sanctitati restituit, et in Professorum album eum, qui Nauticam doceret, adscripsit, ingenia ad eas excolendas benignissime fovet: ex quibus olim alius gentilis noster Torquatus Tassus existat, qui Hierosolyma a Carolo Borbonio reciperata cecinerit. Et quidem his Regiis Nuptiis hanc egregiam praecipuamque gloriam Neapoli perrarum Urbium Fa-

tum promittit, quo nata est, ut ab heroicis usque temporibus semper magis magisque splendore et amplitudine cresceret, quae et mira situs amoenitate, et summa clementia caeli, et rara ubertate soli, et enormi populi frequentia, et ingenti Procerum numero maximi Regis certa propriaque sede ab omnibus, qui eam visunt, dignissima judicatur. Id ipsum ingens laetitia, qua Populus Neapolitanus his Regiis Nuptiis perfunditur, palam probavit, quum Amaliam Carolus Cajetâ Neapolim duxit, quo veluti super ipsius plaudentis Populi humeris Novus Maritus cum Nova Nupta relatus est; quod jam persentiscerent Cives, eum Liberis dare operam, qui indigenae ipsorum Reges futuri essent. His ipsis igitur Regiis Nuptiis plebeii sentiunt Nationum, quae propriis Principibus parent, felicitatem; nam immensis sumptibus in nuptialem apparatum, festas pompas, ludos, spectacula magnificentissime factìs locupletati annonam a bovum lethali lue, infestissimaque hyeme vexatam non senserunt: honestiores autem hanc ipsam civilis status beatitudinem gravius advertunt, cum in hac urbe quamplurimos maximorum Regum, inclytarumque Rerumpublicarum Legatos, innumeros advenarum Principes viros splendidissimò comitatu, quibus nostri Proceres magnificentiam non invident, versari vident; quum Regium Praetorium, ceterumque Aulae cultum in opum osten-

tationem instructum vident; quum Regiam ceteris Europae luculentissimis splendidissimisque parem fundatam vident. De his tot, tantis, tamque exoptatis bonis, quibus per augustissimas Caroli Borbonii, Mariaeque Amaliae Walburgae Nuptias fruimur, et quibus longe majora certo speramus, utri tandem nos habere meritas gratias oporteat, Elisabethae ne Farnesiae, quae regia dote Italiam Philippo aperuit, et felici foecunditate Carolum filium dedit, an Philippo, qui eum ipsum proprium nobis Regem dedit, suoque inclyti Principis exemplo eductum Regem optimum dedit, eique Amaliam, Regiarum Virginum lectissimam uxorem fortissimo consilio, sapientissimoque conciliavit, res plane in incerto est. Habeamus igitur utrique innumeras, maximas, immortales; ac Deo Opt. Max. casti nuncupatas fundamus preces, ut praesentia bona servet, sperata praestet, et ita hanc Regiorum Conjugum cum nostra, nedum mistam, confusam felicitatem aeternet.

AN. MDCCXXXVIII.

ORATIO.

HABITA XV KAL. NOVEMBRIS ANNO MDCC:

CUJUS ARGUMENTUM.

HOSTEM HOSTI INFENSIOREM, INFESTIOREMQUE,

QUAM STULTUM SIBI ESSE NEMINEM

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO DOMINO

MARCELLO PHILOMARINO

E TURRENSIUM DUCIBUS

IO: BAPTISTA A VICO S. P. D.

Si quibus me Amplissima Domus tua, Nobilissime Adolescens, Marcelle Philomarine, complectitur, humanitatem, benignitatemque considero; tantas profecto, ac tam munificas video, ut, quamquam omnem aetatem ejus commodis inservirem; vix tamen, quanta isthinc sum assecutus, mereri possem. Sed si meam cum a fortuna occ'usam, tum a natura negatam alicujus magni, ac praeclari operis vim, ac facultatem agnosco, nihil quicquam majus hoc tenui munere tibi unquam ad animi grati argumentum dicare posse videor. Ea est Oratio de taetris foedisque stultitiae malis. Gua-

mnam in Domum ea familias admittatur quam tuam? cujus familiaris laus est doctissimos, ac sapientissimos Reipublicae viros edere? cui nam quam tibi, qui ex amplissimis Fratribus germanis tuis id vitae genus a puero instituis, ut ad magni illius Asc nsi Philomarini S. R. E. Cardinalis, et Neapolit. norum Pontifices, Propatrui tui exemplar te totum conformes? Indoles id promittit, spes fovet; institutio sedulo curat. Tanta enim cura, et diligentia lectissima, atque omnium virtutum genere laudatissima Foemina Camilla Philomarina Mater tua te, tuosque fratres educat, ut non majore posset Cornelia Gracchorum mater: tanta sedulitate, assiduitateque eruditissimus atque, ac optimus vir, Josephus Scoppa te docet; ut impubes adhuc (quod tecum saepe ex animo gratulor; quum ejus forte absentis, aut morbo impediti subeo vices) Poetas, Historicosque latinos jam ferme omnes praelegeris, et imprimis Plautum, Terentiumque latinae veneris, et elegantiae parentes quam familiarissimos habeas, et nunc Corn. Taciti succiplenam brevitatem degustes. Itaque tua aetate praetergressa eruditione, tuisque suavissimis moribus, et maxime ista tua modestia vere ingenua, ac liberali omnes allicis, omnes capis, omnium studia, nedum adolescentum; quos aetas potius, quam consilium conciliat, sed gravissi-

morum aetate, virtute, ac sapientia virorum studia in te convertis. Quare hoc unum de te votum concipere licet, ut, qua instituisti, pergas; quo brevi te virum in Christiano terrarum Orbe praeclarissimum videamus. Habes igitur, cur in tuam amplissimam Domum, Tibique inscriptam hanc Orationem induxi: Tuae modo fidei est, eam foris quoque sapientissimo tuo Philomarino nomine protutari. Macte virtute, Adolescens Generosissime, et omnem humanam aetatem vale. Dat: Neap: Kal: Decembris:

AN. MDCCVIII:

ORATIO.

Desunt nonnulla.

Cum haec ita sint, et tamen humanam naturam in nobis absurdam, minimeque sibi aptam, immo plane a semetipsa abhorrentem sentiamus; hinc factum est, ut veteres sive Vates illi sint, sive in Sacris, initiisque tradendis divinae mentis interpretes, quum nos ob aliqua scelera in vita superiore a nobis in nos admissa poenarum caussa luendarum natos esse dixerunt; aliquid veri dixisse videantur. Enimvero poena, et quidem omnium acerbissima poena est, vita, quam stulti degunt. Nec vero eam pendunt ob illa, quae Theologi Poëtae comminiscuntur delicta; quae cum nondum essemus, haudquaquam admittere poteramus: sed quia in aeternam illam facimus legem, qua Deus Optimus Maximus hanc totius Mundi Civitatem fundavit: ut omnia si se et universi Rempublicam salvam velint, reliqua creata suam cujusque naturam; homo vero sapientiam Ducem sequatur. Eius legis tot sunt digito omnipotenti praescripta capita; quot sunt rerum ουσιαι, et potestates. Sed illud quod ad rem nostram facit de homine conceptum recitemus. *Homo mortali corpore, aeterno animo esto; ad duas res* verum, *et* honestum, *sive adeo mihi uni nascitor: mens verum, falsum-*

que cognoscito: sensus menti ne imponunto: ratio vitae auspicium, ductum, imperiumque habeto: cupiditates rationi ancillantor: ne mens de rebus ex opinione, sed sui conscia judicato: neve animus ex libidine, sed ratione bonum amplectitor: bonis animi artibus aeternam sibi nominis claritudinem parato: virtute, et constantia humanam felicitatem indipiscitor: Si quis stultus sive per luxum, sive per ignaviam, sive adeo per imprudentiam secus faxit, perduellionis reus sibi ipse bellum indicito: Lex igitur, quam Deus humano generi sanxit, sapientia est. Si sapientiae studiis animum adjungamus; naturam sequimur: sin ab ea ad stultitiam traducamur, a nostra declinamus natura, et in eam facimus legem; cujus sanctio tam exprompta, et parata ostentat supplicia, ut repraesentata poena sit ipsa fraus: et ne quam carnifex moram faciat, qui damnatis compedes, manicas, bojasque constringat; in cruciatum agat, uncoq. trahat; eam a semetipsis poenam tanta diritate exigunt, ac duricie, ut hodierno die vobis proponere audeam: *Hostem hosti infensiorem, infestioremque, quam stultum sibi esse neminem*. A vobis modo, lectissimi Adolescentes, qui beata indole a stultitia aversi ad sapientiae studia animos appulistis: a vobis, qui Sapientiam profitemini, vos quidem officiis, Amplissimi Patres, vos autem institutionibus, doctissimi Antecessores, etiam atque

etiam rogo, quaesoque, ut aequas mihi praebere, ac paratas aures ne recusetis, unice operam daturo, ut quidquid toedii huic Orationi verba, et stylus attulerit, id ipsum gravitate rerum, et temporis brevitate leniatur.

Et quidem possem ex omni temporum memoria atroces, foedasque hostium clades repetere, sed quaenam sunt rerum gestarum historiae, qui annales, qui Commentarii, in quibus non eiusmodi *multa dicta gravia perpessu aspera* legentibus passim prostent? Ne igitur in auctoribus recitandis sim multus; vos, quaeso, trucem ipsam, ac terribilem praeliorum imaginem animo conformate. Ubi Imperatores utrinque e castris eductis, et in acie instructis copiis pugnae signum dederunt; et confestim sublato utrinque clamore, feroces viri concurrunt, et commissum proelium ineunt; quae tum infensa, infestaque in cujusque pectore odia excitantur? quam inexorabiles irae effervescunt? quam infractus audaciae comes furor mentes occaecat? quam impotens occidionis libido animos occupat? Omnes truci, atque efferato vultu sibi ultro, citroque minantur excidium: quisque ardentibus oculis patentem in hoste vulneri quaerit locum; pugnaci petit manu; infesto transigit ferro. Si alteri repulsi referunt pedem, alteri insistunt: si hi ordinem obtineant; illi impetum faciunt; utra turbata acie, altera ingruit. Ubi stataria rem gerunt pugna stantes, et con-

ferti vir virum neci dedit: ubi circumducto agmine praeliantur, praetereundo mutuas sibi dant clades: aliis occumbentibus alii ex integro pugnam ineunt: si qui labore, et vulneribus fessi cedunt recentes, et integri restituunt praelium. Nihil student, nisi caedem facere: nihil affectant, nisi strages edere: id unum gestiunt, afferre clades. In vulneribus, in occidionibus toti sunt. At ubi victoria parta est, ibi non sine ingenti horrore, luctuque maximo videre est, ex victis alios trepidos, aut dissipatos fugam effundere: et inter fugiendum misere trucidari: alios, qui in vestigio cadere maluerunt, in caesorum strages congestos, ut quem cuique sors, aut virtus conjunxerat, pedites, equitesque, victores, et victos animi ferociam, quam haberent in vita, in vultu retinentes jacere. Videres alios in pulvere tabido spiritum intercludere: alios ex strage media nudantes cervicem, jugulumque victoribus, eosque obsecrantes, ut reliquum sibi sanguinem hauriant. At vero hi vel effera ulciscendae injuriae libidine in eos afflictos insultare, et objectare probra, vel cupiditate legendi spolia transilire: ac, ne quid sit in mora, aliis poplites, brachia aliis decidunt, alios medios diffindunt, quo ocyus eos militantibus armis, vestibusque despolient. Neque enim victoria praeliorum exitu terminatur: nam mox ad agrorum vastitatem, urbiumque direptiones divertunt. Et

o quam foeda, tetraque heic se se offert imago latitantium, extrahentium, fugientium, assequentium, observantium, irrumpentium; trucium inter pavidos, ferorum inter miseros, et ex alienis laetorum malis. Omnia; quocumque oculos, animumque convertas, infensa, hostilia omnia: morbo affecti, confecti senio, honestae matronae, generosae virgines, pueri liberales in angiportubus, in conclavibus, in intimis aedium penetralibus, in parentum complexu, ante focos, ante aras, omni humanitate abacta, omni admissa fandi, nefandique licentia vita privantur, spoliantur, fortunis, bonis omnibus exuuntur. Maxima quidem videntur, et acerbissima damna, mala, et exitia, quae bella dare, et afferre solent; ita ut quivis forti, robustoque animo praeditus, eorum vel sola imagine luctu, horroreque refugiat. Sed si cui, omni erroris nebula dissipata, clarior veritatis Phoebus affulgeat; et has cum iis componat cladibus, quas sibi dat stultus secum ipse belligerans; si ullam sensus habeat partem, haec longe majora esse fateatur. Etenim quae vulnera infligere solent hostes, ea saepe et majore quidem animi sensu a chirurgis excipimus; quas ii inferunt mortes, eas, nisi vetarent id leges, saepe in mala spe positi homines ultro sibi consciscerent. Urbe spoliant? at facinorosi scientes, prudentesque solum vertunt. Fortunis privant? at ganeones, nepotesque per

luxum eas, et libidinem prodigunt; libertatem adimunt? at sunt perditi homines, qui ad pretium partiendum se venundari patiuntur. Contra vero (attendite, Auditores, res magna est; attendite res vestra est) contra, inquam, stultus sibi bellum infert, non armis, quibus punctim, aut caesim ferit; sed per summum cruciatum distrahitur. Ea vi superatur, qua vehementior nulla: ea spoliatur urbe, quae una est: iis privatur fortunis, quas vel Reges expetunt: in eum conjicitur carcerem, quo nihil accius, nihil tenebricosius: in ejus redigitur servitutem, cujus omnium saevissimum est imperium. An putatis, me inopinata magnifice loqui? non ita est, ita me Deus amet, non ita est: vera loquor et quorum, si quis heic stultus adesset, quod haud puto, si is modo secum habitet, de se conjecturam facere posset. Stultorum arma sunt effraenes animi affectus: vis, qua superântur, conscientia, urbs, qua spoliântur, Mundus; fortunae, quibus exuuntur, humana felicitas: carcer, quo truduntur, corpus: domina, cujus imperio subjiciuntur, Fortuna. Haec igitur singula, dum aliquanto amplius persequar, quaeso vos, Auditores, benigne, idest vestro de more audiatis. Et principio quidem attendite, quos acerrimos adversus semet hostes, et quam perniciosis armis instruat stultus. In ea animi parte, quae rationis est expers, (comparatione Philonis ad hanc rem apposita utar), duo sunt veluti

equi, irascens unus, alter concupiscens: ille mas, haec foemina: ille gestiens animosus, impotens; hic fractus, languidus, deses: illo animus in ardua, atrociaque, hoc vero in proclivia, et amoena fertur. Ex his duobus equis non secus ac illo Trojanorum equo quot inclusi sese exerunt hostes! Etenim ubi semel prava cupiditas alicuius apparentis boni animum stulti incessit; ibi tum omnium perturbationum fons, et origo existit amor: si bonum quam longissime absit; desiderium nascitur: si consequi possit; spes erigitur; si praesens sit; exoritur gaudium: si ita summum reputatur, ut in eo non nisi unus excellere possit; Zelotypia; et aemulatio praesto est: si ejus copiam alius habeat; nos inopia laboremus, invidia cietur. At ubi ejusmodi fluxi, et fucati boni compotes facti sumus, et, detracta persona, res manet, quia quod prius bonum videbatur, mox sub specie boni latens retegit malum; statim odium amori contrarium succenturiabitur: ac si malum longe absit fiet, ut abominatio, et fuga expediatur: si praesens nos premat, tristitia erumpat et dolor. Atque hcic confestim cupiditati irascibilis appetitus opportunam fert opem. Etenim ad malum depellendum excitat iram: quod si vincere posse putet; armat audaciam: si de victoria desperet; iterum cupiditas ingruit: et si malum mediocre sit, taedium, si summum, ad stultum debellandum stuporem etiam educit.

Ducunt agmen appetitus, et fuga: mediam tenet aciem gaudium, est in subsidiis dolor. His hostibus stulti animus impetitus astat, timet, gaudet, doletque: Sed quia artem vitae sapientiam non callet; fluxa vota, timores irriti, mala mentis gaudia; soli timores. Si quidem optant Adolescentes unguenta, corollas, convivia: sed in his subest animis aliquid, quod totam postea rationem vitae conturbat. Optant Juvenes gloriam, sed quae exquisita, et affectata Varrones Cannensi clade deturpet. Optant viri potentiam, sed quae virtute non moderata trahit unco Sejanos. Optant senes divitias, sed quae meritis non partae Crassos pessumdant. Optant decrepiti longaevam vitam, ut senii incommoda sentiant, et suorum funera videant. Timent quidem insipientes, sed quae nihilo metuenda magis sunt, quam quae pueri in tenebris pavere solent: et vertunt terga, quemadmodum hostes, quos actu pecorum pulvis sublatus exuit castris. Quamobrem eos scita translatione majusculos pueros Seneca vocat: quibus post juventam, canosque non pueritia, sed quod gravius est, puerilitas manet. Timent enim, ne quid sibi detrahatur honoris; qui re ipsa in honorantibus est: timent, ne quid patrimonii atteratur; quod revera est in bonis Fortunae: timent, ne supremum properet fatum; quod, si sanguinis guttula in sinistro cordis ventriculo subsistat, imminet repentinum. Gaudia

vero stultorum (si tamen gaudia appellanda sint, et non potius integrationes doloris) quam perfunctoria! quae non perpetua hilaritas, sed subita diffusio consequitur. Etenim ea animi pars, quae ratione praedita est, et stultis, ut ita dicam, poenae nomine relicta, suspicit, quandoque Archimedem inter Syracusarum direptionem in erudito pulvere geometricarum apodixium suavitate occupatum teneri: admiratur Scipiones post Carthaginem eversam pro ingrata Roma libentissime Linterni villulam commutare, et per summam animi tranquillitatem inter Literas abditum, et sua ipsius virtute involutum vel sapientiae studiis, vel memoria rerum praeclarissime a se gestarum delectari. Adeo enim gratiosa est virtus, ut insitum etiam sit improbis, probare meliora. Sed quid tum? gravissimum illud sentiunt malum, quod stultis Poeta grandiloquo ore imprecatur.

Virtutem ut videant, intabescantq. relicta.

Quandoquidem ratio a virtutis pulchritudine, ad quam nata est, commota arripit affectuum, et perturbationis habenas. Sed nequicquam: etenim aut a refractariis equis instar Homerici Hectoris raptatur, aut, quoniam nescit fines,

Quos ultra, citraque nequit consistere rectum, vel vehemens, dum aliqua devitat vitia, currit in contraria; vel a seipsa dissidens, laudat virtutes, vitiis obsequitur. Et ne timidus audiat,

audacium fert praemia, injurias, et contumelias: ne audax, *omnia tuta timet*: ne avarus habeatur: rem omnem prodigit: ne prodigus, a congesta pecunia tanquam a Sacro abstinet, et suum genium defraudat. Itaque in omni vita, vel cupiditatibus trepidat, vel voluptatibus insanit, vel curis, aerumnisque conficitur. His suppositis flammis, his admotis arietibus, pluteisque stulti animus oppugnatur. Qua vi expugnatur tandem? qua nemo se protegere potest: vitae inter vitia traductae conscientia. Haec diras, haec intemperias ciet, quae stultum tenent, et agitant. Lubet eos oculis videre jactatos? Spectate, stulti vita semper ingrata, semper trepida est, semper is sibi dissidet, secumque pugnat: semper fastidio sui laborat, suique taedet, ac poenitet. Nunquam ei velle, ac nolle decretum est: variat quotidie judicium, vertitque in contraria: sua despicit, aliena miratur, et ut Plautini Alcerimarchi.

.... *ubi est, ibi non est; ubi non est, ibi est animus.*

semper apud se caussam dicit, et se condemnat: semper foris est; nunquam secum habitat: nova commutans loca, nova obiens munia, novam vitae rationem instituens, novas spes etiam in exitu inchoans, semper se fugit. Talibus stulti oppugnati armis, tanta vi debellati quam amplissima, et pulcherrima privantur urbe? Ea nimirum,

quam non aratro designati ambiunt muri; sed *flammantia* coeli moenia circumdant: quae non mutabili lege fundata est; sed aeterno regitur jure: in qua non municipale sacrum, sed coelum, sydereum Dei Opt. Max. templum reseratur: cujus Theatrum, terrae patent; Thermae maria; stadia solis viae. Ejus urbis civitas nonnisi Deo, sapientibusque communis est: quando ejus juris communionem non principali beneficio, non liberis, non nave, non militia homines, sed sapientia consequuntur. Etenim (attendite per vestram fidem) jus, quo haec maxima Civitas fundata est, divina ratio est toti mundo, et partibus ejus inserta, quae omnia permeans Mundum continet, et tuetur. Haec in Deo est, et Sapientia divina dicitur; a solo sapiente cognoscitur. et sapientia humana appellatur. Quis igitur non, quod olim Mutius, *Civis Romanus* sum, sed, quod multo est grandius, magnificentiusque, Mundi civis sum, potest dicere, nisi solus sapiens, qui de rebus superis, inferisque, divinis, humanis, universis vera cogitare, et disserere sciat? Quis nisi sapiens, pro tantae Civitatis cive se probare potest, qui Naturae, et universi Legem novit, ac servet? quae res ejus Reipublicae jura Deo, hominibusque communicat? Perfecta ratio, qua Deus cuncta operatur; sapiens cuncta intelligit. Quae res hominum cum Deo necessitudines conciliat? Veritas, quae ab unis sapientibus se se

vestigari sinit: et, ut graecum notat nomen, circa Deum versatur. Quae res homines Dei similes facit? Virtus, qua freti Stoici nimis superbe de sapiente, nimis abjecte de Deo disserentes illud παραδοξον statuunt, quod vere in παραλογον abit: quod eadem res sapientem efficiat, quae Deum, nempe virtus, nulla re praeterea, nisi immortalitate, quae nihil ad bene vivendum pertinet, cedens caelestibus. Dicamus id magis sic, et verius, graviusque: una re nos Deus sui similes reddit: virtute: qua nedum humanae, sed cum caelestibus etiam aeternae nos compotes facit felicitatis. Magna stulti Civitate privantur: magnis item necesse est, ut spolientur opibus, ac fortunis. Quibus, rogabitis? Felicitate. Nam omnibus quidem hominibus natura insitum est, ut beatam expetant vitam. At vero stulti, dum illam petunt, fugiunt: quandoquidem cum beatae vitae summa sit vera hilaritas, solida tranquillitas, inconcussa securitas; ii solicitudinum caussas colligunt, et per insidiosum iter longius ab eo, quod petunt, semper abscedunt: et in Labyrintho properantium instar, sua ipsorum velocitate se implicant. Quid ita? quia eos deficit perfecta virtus; hoc est aequalitas, ac tenor vitae per omnia sibi constans: quod fieri nullo pacto potest, nisi rerum scientia, prudentiaque contingat. Etenim humanae vitae propositum, et appetendorum ultimum, quo potiti nihil ultra peti-

mus, vel egemus, et quo uno, utpote ad id natus animus, consummatur, est certa scire, recta operari; atque illo contemplari, hoc imitari Deum. Ubi semel inter haec studia sapiens versatur, eo gaudio ejus vita perfunditur, cujus indivisae sunt comites, conscientiae tranquillitas, innocentiaeque securitas. Scientia enim praestat, ut sapiens animum deducat a corpore, et multum cum meliore, ac divina parte versetur; et cum hac querula, ac fragili, quantum necesse est. Itaque rerum vestigans caussas, mente Deum adit: et his cogitationibus oblectatur, et pascitur. Recta vitae institutione agnoscit in nobis esse appetitionem, et fugam; virtutem, et vitia: extra nos corpus, opes, gloriam: agnoscit, quae in nobis sunt, natura sua libera, et propria esse: extra autem posita serva, et alieni juris. Quamobrem ita se conformat, ut quidquid ex Dei constitutione nos pati necesse sit, id magno animo excipiatur. Ad hoc Sacramentum se adactum intelligit; ferre mortalia, nec perturbari his, quae vitare, nostrae potestatis non est. Itaque ab celsa mentis veluti arce omne Fortunae regnum despectat, et veluti summus Olympi vertex humanorum casuum ventos, nubesque superat. Tot tantisque stultus spoliatus fortunis, libertate etiam justi jure belli privatur, libertate, inquam, quae non vindicta, aut pileo donari solet a dominis; sed quam praestat sua manumissione sapientia. Hic in arctum tru-

ditur carcerem asservandus multis, spississque tenebris circumtextum, et horroribus undique circumfusum. Nulla ibi rimula hiat, per quam lucis radius penetrare possit. Nullus ei verus Triumvir praest; nullus fidus ad ostia custos, qui extrinsecus allata ex bona referat fide. Credo equidem, vos jamdudum tenere, quae dicam. Tenebricosus carcer est corpus: Triumviri, opinio, falsitas, error: Custodes, sensus: qui in pueris acerrimi, in senibus hebetes, et in omni vita pravis affectionibus corruptissimi. Quivis nervorum morbus, quodlibet organorum vitium, quicumque appetitus, intemperantia eos corrumpit, et labefactat. Quid? diversae corporum compages, quam diversa, immo contraria ingenia induunt? Amor vero quam miris modis vim imagines conformandi distorquet? quam miris odium depravat? Qui amant, dominarum vitia, tanquam virtutes exosculantur: qui oderint, tanquam vitia, virtutes abhorrent. Hinc illi opinionum, quibus jactantur, fluctus: illi studiorum, quibus submerguntur, Euripi, illi errorum scopuli, in quos impingunt. Cumque nesciant, quam alti rebus termini haereant; et quid fieri possit, quid secus, ignorent: atque adeo non habeant gubernaculum vitae sapientiam, sed fortunae committant: A qua dum sacerrimis habentur modis, illas voces per summum animi dolorem emittunt: *non putabam: spes me frustra habuit: hoc*

mihi restare nesciebam. O quam vere cor, et pupula sapientum, o quam vere, Plato dixisti: omnium ferocissimum animal esse hominem stultum! Nam quae major ferocia, quam adversus semetipsum tam infandum bellum indicere? in horas a sua ipsius conscientia sub jugum per summam turpitudinem agi? in tam amplissima urbe nullum caput habere? Fortunis privari, quae unae propriae sunt? carcere tam duro asservari, quem non potest infringere? a saevissima Domina non perfugere ad aram sapientiae? Eja agamus hoc tandem: et nosmetipsos respiciamus; nos nostri misereat: et sanctum nobiscum ipsis paciscamur foedus. En Foeciales ad id feriendum parati: heic adsunt, ut nobis verbis praeeant: sequamur igitur. Et illi pareamus Naturae legi, quae jubet, ut quisque sibi constet. Facilis est, nam ingenita: benigna; quia Natura....

ORATIUNCULA

Pro adsequenda Laurea in Utroque Jure.

Quantae dignationis hic, qui nunc mihi meisque optatissimus dies illuxit, reputaverim, hinc quaeso Perillustr. Provice Magne Cancellarie, et amplissimi huius Collegii Sapientissimi Patres cognoscite, quod omnes perpetui Legalis Quinquennii vigilias, ac Labores hoc semper die solatus sum, eoque ad sudandum in Legum disciplina, algendumque confirmatus, ea spe fretus fore, uti mihi experimentis in utroque jure de more factis, in Jurisconsultorum Album vestris sententiis cooptaretis; in quo numero et ornatissimum caussarum Patroni munus obirem, et quandoque ad Rempublicam in partibus, quas Justinianus studiosae Legum iuventuti mandandas proponit administrandam accederem. Sed nunc vestra dignitas omnem meam ingenii fiduciam, omne in jure perdiscendo exactam industriam, omnem ante adhibitam diligentiam terret, ut merito meo id amplissimum vobis munus petenti suffragemini. Quare vos oro, atque obsecro, ut bona cum venia haec mea tentamenta audiatis, ut pro benignitate vestra me Jurisconsultum esse velitis. Igitur D. O. M. precatus interpretandos

utrosque textus suscipio, qui heri mihi sortito obvenerunt; et prius in Jure Pontificio Cap. ec.

Gratiarum Actio.

Tantis pro meritis dignas si pendere grates
Impar ego; superi praemia digna ferant.

CAROLO BORBONIO

UTRIUSQUE SIC. REG.

Regia Neapolitana Academia

In communi omnium Ordinum laetitia, Te, Rex inclyte, Tuo summo armorum ductu, imperioque Regnum Neapolitanum reciperasse; publicoque ejus bono spectatissimam prudentiam, et incorruptam integritatem ad ipsius regimen Tecum comites adduxisse; et, quod unum ad ejusdem felicitatem restabat, cunctis secundantibus auspiciis, Neapolis Regem appellatum esse plaudentium: Regia Studiorum Universitas ad Tuos pedes in obsequium provoluta peculiare suum gaudium protestatur. Quod Princeps ex potentissimis Orbis terrarum Regibus ortus tenera adhuc aetate ab amantissimorum Parentum complexu ipsius gloriae manu divulsus ab ultima

usque Hispania longissima sub armis itinera, periculossimas hiberno mari navigationes, nivosa, asperaque agmina, Deo auspice, emensus, nunc Rex pius, felix, victor faustis populorum, ac gentium acclamationibus saluteris. Equidem Divinae bonitati id in primis acceptum refero, quod tandiu vitam perduxi, ut qui tribus et triginta praeteritis annis Philippo V. Hispaniarum Regi Parenti tuo pientissimo, quum hanc Urbem, hoc Regnum sua praesentia exhilaratum venit, hujus Universitatis nomine Panegyricam Orationem inscripseram; nunc ejusdem Academiae verbis cum Regia Majestate tua hoc humillimum gratulationis officium peragam. Ea nunc, Rex clementissime, Te orat, et obsecrat, ut ipsam magno, quo ex magnis natus es, animo in Tuam fidem, et clientelam recipias; de quo amplissimo beneficio et ipsa Tibi aget gratias immortales, et est Deus Optimus Maximus optimas maximas relaturus.

CAROLO BORBONIO

UTRIUSQUE SICILIÆ REG.

Etsi inclytis magnarum gentium, ac nationum Regibus nihil, nisi amplum splendidumque dono offerri darique oporteat; tamen quando Summae in Terris Potestates Deum Opt. Max. referunt, qui thure in suave olentem nidorem abituro, et tenuibus florum corollis honorari non aspernatur; hac fiducia fretus hos de Physica Medicina, quos lucubravi libros, Tibi Rex Celsissime, inscribere ac dicare constitui. Leges enim in suis definitionibus habent, jura esse individua, et quanto in maximis, tanta in minimis aestimanda. Levidense quidem hoc munus, sed Tibi debitum tamen: qui ubi primum hoc Regnum a Germanorum armis pacasti, ad literas suo nitori restituendas animum adjecisti; et Regia liberalitate in eas collata, Neapolitanam Academiam diu a praesidiariis militibus occupatam, qua solita scholarum parte celebrabatur, sarctam tectamque, et novo opere expolitam esse imperasti. Qua quidem in re cuivis gravi argumento probas. Te Ludovici Magni Proavi tui praeclarissimis exemplis insistere; qui inter multa, varia et ingentia quae gessit, bella Gallicanum Regnum tamquam inconcussa pace, ac tranquillissimo ocio

ageret, excultissimis Minervae studiis, illustravit. Non est sane neque mei imbecillis ingenii, neque intra brevis epistolae angustos cancellos in tuas Regias Laudes excurrere, quae disertis Oratoribus patentissimum sublimis eloquentiae campum aperiunt. Oris nempe, totius corporis dignitas, et cum quadam ferme coelesti vultus serenitate at temperata Majestas; singularis in Deum pietas, mira in subiectos clementia; in obeundis belli laboribus tenerae adhuc aetatis singularis alacritas, et constantia; in agitandis pacis consiliis rara Principis adolescentis attentio; gravitas et prudentia; haud est quicquam in juvenis Regis aula, quod non sit intemeratum sanctumque. Heio id tantum de Te dicere mihi fas sit, si Rex fortissimus ac sapientissimus Philippus pater tuus in Tuae Regiae indolis experimentum Tuae Regiae indolis praesens Tibi praesenti haec Regna permisisset administranda, pientissimi Parentis pudore nihilo justius, nihilo suavius regeres quam nunc Rex ab eo creatus et immenso terrarum tractu dissitus regis. Ut igitur a Magnis summa Fortuna ortus, ad magna felici natura factus in hac magna nobis virtute praestas, ita venerabundus rogo, quaesoque hanc opellam, quam pro tenui mea publicae felicitatis virili parte mei erga Te obsequii do testem, magno animo excipias.

FRANCISCO SERAO VIR. CLARIS.

PUBLICO MEDICINAE PROFESSORI

JO: BAPTISTA VICUS S. P. D.

Liberant fidem suam qui ad solvendum aliquo juris vinculo sunt obligati; at Tu, Vir clarissime, pro tua singulari benignitate erga me mihi misisti quae de Phalangio Apulo hactenus edideras. Ea tuae feracissimae menti, et mira doctrinae et eruditionis suppellectile abunde instructae pauca videntur, et plura mittere voluisses si per aliena negotia quibus distrahi, ac distineri vis, facere licuisset. Sed isthaec magis laus, quam excusatio habenda est. Ea enim egregii operis particula tanto ingenio, tantoque judicio est pertractata, ut qui Te ignorant, in nulla alià re occupatum. putaverint. At enim videris aut tuos divinos mentis partus nedum contemnere, graviter sane odisse, aut me nullum omnino doctorum hominum sensum habere, qui postulas, ut pulcherrimum nitidissimumque opus emendationum notis deturpem. Neque quod in hac iniqua re tibi non obsequor, idcirco de animo in Te meo quicquam dubites: et istam suspicionem differas tantisper quaeso, dum Rep. Literariae universae censuram de edita Dissertatione, ut confido honorificentissimam referas. Dulciariorum suave munus mihi pergratum fuit,

tum ipso mancipio, tum a tali Viro ad me missum: et quod dulcia Medici dicant vilescere, id pace dicam tua magis argute, quam acute a Te dictum interpretor, scilicet ut tuae amabilissimae Dissertationi injurius irascerer. Igitur quam vere et severe Phalangi Apuli naturalem historiam scribis, tuum ipsius animum consule, et certe scias quam in tuto tua doctissimi viri fama sita sit. Vale peritissima Sophiae Medulla.

COMITI ANTONIO COPPOLA

IO: BAPTISTA VICUS S. D.

Duo mihi videntur dubietatum genera, Amice Suavissime, et alterum ex ingenii acumine, alterum ex rerum ignoratione proficisci. At vereor ne tua percontatio de Biscardiani Responsi epigraphe in hac postrema κατηγορια contineatur. Eius enim libri epigramma ita conceptum est. *Epistola pro Augustissimo Philippo Hispaniarum Rege, in qua et jus ei assertum, et omnia confutantur, quae pro Investitura Regni Neap. ab Austriacis afferuntur:* in quo sane si pars illa orationis et *jus ei assertum* vulgari ellipsi verbi *est* suppleatur; in latio prorsus peregrinari videtur, qui ex iis verbis hanc non assequatur sententiam: quod ea epistola est

jus in Hispaniensem Monarchiam Philippo asseritur, et omnia confutantur ec. quae ab Austriacis afferuntur: eoque magis quod *Epistola* paullo ante dicitur *pro Philippo* scripta. Quamobrem tantum abest, ut quid absurdi in eo titulo subsit, ut qui ejus vicii Biscardum insimulare velit, ipse mihi mentis omnino absurdae videatur. At si dixeris librorum propositiones quam maxime perspicuas esse oportere, ne lector offendat in ipso limine: In re atque natura recte dixeris, ut in proposito nullus dixeris. Nam ejusmodi ellipsis adeo frequens apud probatos scriptores est usus, ut ubique prostet. Atque in ejus rei argumento cum mihi literae tuae datae sunt, tum ego initium libri XXI. historiae Livianae animi caussa legebam, et nnmero Hannibalis iconem, ejusque primam expeditionem ubi auctor scribit: *Cibi potionisque desiderio naturali non voluptate modus finitus*, supple *erat*; quam mox, *id quod rebus gerendis superesset quieti datum supple erat;* et e vestigio: *eaque neque molli strato, neque silentio accersita* supple *erat*; et paucis interiectis *Vere primo in Vaccaeos permotum bellum* supple *est.* Atque haec intra unius pagellae ambitum apud scriptorem qui neque, ut Tacitus, loquitur praefinito, neque caesim uti Sallustius; sed qui scriptionis genere excellit maxime perspicuo, et affluenti. Proinde desinas nodum in scirpo quae-

rere, ut aiunt: et Te digna, et magis ex usu disputanda porro proponas. Vale, multumque vale; et qua plurima salute ego Te, Tu meo nomine praeclarissimos Viros Patrem Avulumque tuum impertias. Neap. III. Kal. Septembris CIƆIƆCCIII. Amo Te plurimum de optimis pomis, et affatim ad me missis.

VICI VINDICIÆ

SIVE NOTÆ.

IN ACTA ERUDITORUM LIPSIENSIA MENSIS AUGUSTI A. MDCCXXVII.

UBI INTER NOVA LITERARIA

Unum extat de ejus Libro, cui Titulus;

Principj d' una Scienza Nuova d' intorno alla Natura delle Nazioni.

CAROLO AUSTRIO

ROMANORVM IMPERATORI

ET HISPANIARVM REGI

PIO FELICI

QUI

ROMANO-CATH. RELIGIONIS

PROTECTOR AVGVSTVS

IN ITALIA

NEAPOLITANI CIVIS

INGENIVM

PVBLICA ERVDITIONE

EXCITAVIT

VT

NOVAM SCIENTIAM

DE NATIONVM NATVRA

MEDITARETVR

QVAE

DE IVRE

NATVRALI GENTIVM

SYSTEMA

TALI POLITIA DIGNVM

AB IPSA NATVM

VERVM ESSE

DEMONSTRAT

IN HOC

MOLE QVIDEM PEREXIGVO

CAVSSA AVTEM

INGENTI LIBRO

PER OCCASIONEM

EIVS NOVAE SCIENTIAE

LVCVBRATO

VBI

QVASI IN MODICO SVO

DOCTRINAE FVNDO

ADVERSVS QVENDAM

APVD ACTA ERVDITORVM

LIPSIAE

LATITANTEM ERRONEM

MANV CONSERTVM

AMPLISSIMAE PATRIAE

PIETAS

ITALICAE SAPIENTIAE

DIGNITAS

ECCLESIAE ROMANO-CATHOL.

VERITAS

EJVSQVE MONARCHICI IVRIS

MAJESTAS

VINDICANTVR

INCLYTAS VINDICIAS

JOH. BAPTISTA VICVS

IN EIVS REGIA ACADEMIA

ELOQVENTIAE PROFESSOR

IN OBSEQVIVM PROVOLVTVS

DAT DONAT DICATQVE.

JOH: BAPTISTAE VICI

IN ACTA ERUDITORUM LIPSIENSIA

NOTÆ.

DE LIBRO RELATIO, ET JUDICIUM.

Quibus unus metus, si intelligere viderentur.
Cornelius Tacitus Annalium 1.

Quidam verus Amicus noster hoc circumagente mense Augusto A. CIƆIƆCCXXIX. mihi renunciavit, inter vestra *Nova Literaria mensis Augusti Anni* MDCCXXVII. me meumque librum a vobis, CC. Literati Lipsienses Viri, sinistre exceptum esse; ejusque *Anni Volumen* ad me detulit in quo haec, quae sequuntur, mihi legenda exhibuit.

Prodiit ibidem (Neapoli) *liber, cui tit.*Principii d'Una Scienza Nuova (a) 8; (b) *cujus libri auctor quamvis nomen suum Erud tos celet*, (c) *certiores tamen facti sumus per amicum* (d) *quendam Italum*, (e) *esse eundem abbatem* (f) *Neapolitanum, cui nomen* Vici (g) *sit. Agit tvit auctor in isto libello novum Juris naturalis systema*, (h) *seu figmentum* (i) *potius, ex aliis longe, quam*

hactenus sueverunt Philosophi, (k) *principiis deductum*; *magisque ad ingenium* (l) *pontificiae ecclesiae* (m) *accommodatum. Multo labore* (n) *contra* Grotii et Pufendorfii (o) *doctrinas, et principia disputat;* (p) *ingenio* (q) *tamen magis indulget, quam veritati*; (r) *longaque conjecturarum mole sibi ipsi deficiens,* (s) *ab ipsis Italis taedio* (t) *magis, quam applausu excipitur.*

Notarum Propositio.

Quae cum sint *falsa omnia*, praeter *unum verum*, de quo ibi me reprehendi, in eo mecum praeclarissime actum putaverim; his *Notis* ostendam, *vos aliena fraude deceptos* evulgasse.

Notae.

(*a*) Sed ipsius Scientiae proprium subjectum, quod est *de Nationum Natura*, vasto silentio praeteritur; quod sane novam rem literariam narranti diserte erat, et quidem in primis plane enunciandum.

(*b*) Iste, qui haec nunciat, ejus libelli ne formam quidem aspexit, quae est, non 8, sed 12.

(c) Sed in primis ejus libri paginis bis meum *Joa. Baptistae Vici* nomen palam perscripsi, semel in epistola dedicatoria ad Eminentissimum

Cardinalem Corsinum, iterum, ubi ad omnes Europae Academias eum librum dirigo.

(*d*) Ah vere Germani viri, etiam atque etiam videte, ne iste vester simulatus *amicus* sit; qui talibus rerum literariarum falsissimis nunciis vestram bonam fidem ludibrio habet; eamque sic illudit, ut per tam manifesta mendacia, vos enormiter falsa pro veris temere accepisse, ab *Actis vestris* ipsis liquido reos peragat.

(*e*) Sed ego animum inducere nullo pacto possum ut istum hominem esse *Italum* credam; quin potius, Transalpinum aliquem putaverim prae Italicae gloriae invidia, et Religionis Romano-Catholicae odio isthaec vobis de me, meoque libro retulisse: nam qui Italus sit, qui systema de Jure naturali gentium Romano-Catholicae Religioni conveniens, dicat, ab Italis, qui omnes sunt Romano-Catholici, cum taedio exceptum esse? Quapropter, cum iste obscurus, innominatusqne homo gentem fingat alienam, abneget suam, eum in his *Notis* ego *ignotum Erronem* appellabo.

(*f*) Ego vero uxorem triginta ab hinc annis duxi, quacum concordi adhuc animo vivo, et ex qua quinqne filios habeo superstites. Sed iste *ignotus Erro* de iudustria heic et fallit, et fallitur; ne fortasse in suspicionem veniat, quod is me satis et noscat, et sciat. An potius iste me neque scit, neque noscit; quia Neapolitanus esse

non potest, qui ideo me *Abbatem* confingit, quia systema de Jure naturali Romano-Catholicae Religioni consonum excogitavi? quasi vero Literati viri Neapolitani doctrinam suae Religioni ii soli submittant, qui sunt ex Ordine clericorum! Sitne hinc civis, qui in suam patriam tanta impietate peccaverit?

(*g*) Sed ignobilitatem, sive obscuritatem mei nominis, ut alia documenta praeteream, cognoscite, quaeso, in *Bibliotheca Antiqua*, *et Nova D. Joa. Clerici*, ubi in *Voluminis* XVIII. *Parte Altera Articulo* VIII. de quibusdam meis libris plurimum sermonem habet: cognoscite ex *mea* ipsius *Vita*, quam a me per me ipsum scriptam enixe flagitavit *C. V. Com. Johannes-Articus de Porcia*, Eminentiss. Cardinalis de Porcia germanus Frater; quae Venetiis, me invito, ut ipse ejus Vulgator ibi palam profitetur, extat in *Opusculorum Collectione Rev. Pat. Calogerà*; in cujus calce *Catalogus* attexitur *Librorum*, quos triginta perpetuos annos, ab quo jam inde usque tempore in Regia Neapolitana Academia eloquentiam profiteor, et ultra etiam id tempus lucubravi.

(*h*) Atqui non Jus naturale gentium est *primarium ejus scientiae subiectum*, sed *Communis Nationum Natura;* ex qua constans, et universa *rerum divinarum*, *atque humanarum notitia* apud omnes aeque populos defluit, dif-

fluitque; unde *novum de Jure naturali systema* invenitur, quod est *ejus scientiae quoddam praecipuum Corollarium.*

(*i*) Videte, cui *figmenta* displiceant, severo scilicet philosopho, qui de me, meoque et nomine, et statu, et ordine, et libro tot, et tanta confingit! Sed omittamus hominem, et rem ipsam pensemus. Igitur *doctrinas et principia Pontificiae Ecclesiae accommodata* iste *ignotus Erro* hoc suo dicto *figmenta conjecturarum mole sibi male cohaerentia*, atque adeo ineptas fabulas putat? Quis, non dico Neapolitanus, non dico, Italus, sed quivis Romano-Catholicus suae verae Religioni tam maledixerit?

(*k*) Quorsumnam *ignotus erro* isthaec dicit? An quia *Grotius*. *et Pufendorfius*, addatur cumulo etiam quoque *Seldenus*, tres ejus doctrinae Principes, isti *Erroni* videntur ii soli esse philosophi, quia nemo omnium est Romano-Catholicus? An vero, ut significet, me non esse philosophum? Quod si is id sentiat, eorum duùm alterum is hoc suo dicto significat; aut quod is me, si cum doctis nescit, saltem cum vulgo noscit, non esse philosophiae, sed philologiae, nempe eloquentiae professorem; quia cum vulgo putat, eloquentiam a philosophia esse rem prorsus aliam: aut quod is eum librum omnino non legerit; cujus perpetua haec ratio est, ut philologiam, sive rerum omnium, quae ab libero ho-

minum, arbitrio dependent, ut sunt linguarum, morum, et rerum sive pace actarum, sive bello gestarum historiae, philosophiae, ut par est, et nemo hactenus tentavit philosophus, submittam, et ab exploratis philosophiae principiis philologiam in certam scientiae formam redigam. An quia in eo systemate jus monarchicum rationibus firmo, quas hactenus non videre Philosophi? Si id sentiat *Erro* iste, is implacabiliter pugnantia planissime dicit. Sic enim *Grotium*, qui isti in hoc ipso argumento est philosophus, pro quo stare profitetur, non solum deferit, sed oppugnat. Nam non alio sane consilio *Gronovius* in *Grotium* suas *notas* scripsit, quam ut scriberet *accommodate ad ingenium* popularis Batavorum libertatis; qui eum auctorem, ut assentatorem monarchiae notat; an merito? non est hic disserendi locus. Uter igitur scribit *ad alterius ingenium accommodate*, quod *Tacito* illud elegans est, *per ambitionem*, quod esset italice vertendum, *a compiacenza*, egone, qui ex vero, quod Ecclesia Catholica docet, quodque *Grotius* etiam agnoscit; an *Erro* iste, ut vestrae populari Lipsiensium libertati morem gerat? Ceterum cur iste me e sueta philosophorum via excessisse dicat, non plane intelligo; nisi forsan, quia id systema in Divinae Providentiae principio fundandum curavi; quod *Grotius* omnino non fecit, qui, omni Dei Opt. Max. cognitione praecisa, suum systema

constare palam profitetur; *Pufendorfius* quidem fecit, sed data hypothesi prorsus epicurea, hominis sine ulla divina ope, consilio in hunc Mundum conjecti; quo nomine a Doctis aeque ac piis accusatus, *Dissertatione* ad id edita, caussam dicere adactus est: ego vero praeterea divinae Providentiae placito et illud quoque adstruo consentaneum, homini liberam esse recti pravique electionem; sine quibus philosophiae principiis de justitia, de justo, de legibus disseri omnino quicquam non potest. Si *Erro* iccirco me e sueta philosophorum via excessisse ait, is certe *Platonem* qui divinam Providentiam in suis placitis statuit, et liberum homini turpis, honestique arbitrium vindicat, per summam licentiam, quae furori proxima esset, divinum philosophum ex albo philosophorum eraderet: quod si forte ita sit, is se ultro *Novatorem* accusat; nam nemo sane alius reprehenderet nostrum systema, quod sit *ad ingenium Pontificiae Ecclesiae accommodatum*, nisi qui *Lutheri*, aut *Calvini* assecla, Stoicorum sectam, et Fatum in Christianam philosophiam intrudit, et in servo hominis arbitrio caecam Necessitatem seu premere, sive opprimere cuncta decreverit.

(*l*) Non temere heic ab *Errone* vox *ingenium* delecta; ea enim exprimit linguae genium, qua *Novatores* loquuntur, quum dicunt, quod Ecclesia Romano-Catholica disputationum ingenio,

non Instrumenti, hoc est Evangelii veritate nitatur: et idem deinceps iccirco, me in eo systemate *magis ad ingenium Pontificiae Ecclesiae accommodato* ait, *magis ingenio indulgere, quam veritati.*

(*m*) Praeclarum vero id mihi imputo, tantum abest, ut quicquam inde graver. Quidni systema meum illi Ecclesiae accommodarem, quae veritatem suis iudigitat Professoribus? Immo vero ipsa se mihi commodam praebuit ad id constabiliendum systema universo Generi umano accommodatum; quae me illa dogmata docuit duo, alterum de Divina Providentia, alterum de libero hominis Arbitrio, in quae duo universum Genus Humanum consentit; ita, ut adversus ea ipsi sive *Lutheri*, sive *Calvini* sectatores verba palam facere prohibeantur; uti *Theodoro Bezae* semel accidit in Helvetiis, ubi principem *Calvini* locum tenuit, qui cum ejusmodi concionem habuisset, ita omnis Christiani officii recte faciendi auditores animum despondere, ut adversus ea catholica dogmata in posterum praedicare a magistratu vetitus sit.

(*n*) An iste *ignotus Erro* est ariolus, qui id de me fatetur verum? nam in eo systemate tentando, firmando, adornandoque, qui per *Erronem* istum ipsum *ingenio nimis indulgeo*, triginta ferme vitae annos insnmpserim.

(*o*) Hoc verbum *Erro* vobis injecit, ut vestratis *Pufendorfii* caussâ is apud vos invidiam libro

conflaret: quo non minus vos ad indignationem commovendos esse arbitrabatur, quam illo, *systema potius ad ingenium Pontificiae Ecclesiae accommodatum.* Sed vos justos aequosque rerum literariarum aestimatores haud sane decet, in librorum Censura prae partium studiis ne latum quidem unguem transversos agi.

(*p*) Nam cur *Seldenum* omisit, tertium, sed tempore secundum ejus Tractationis Principem, contra cujus quoque *doctrinas, et principia disputo;* quod suum de Jure naturali systema Noachicum ex Providentiae principio rationibus ab ipso divinarum humanarumque rerum ordine naturaliter deductis non constabiliat? Vah nunc jam intelligo. Huic *Erroni* non videtur *Seldenus* philosophus, quia is ex *Sacro Geneseos libro* Providentiam supponit. Igitur neque isti *Erroni* est Philosophus *Cicero*, qui negat, se posse cum *Attico* disserere quicquam *de legibus*, nisi ille id sibi det, quod universum hominum genus communi sensu sibi habet persuasum, humana cuncta nobis a Divina Providentia recte riteque dispensari: unde *Grotius* videat, an suum systema, omni Dei Opt. Max. cognitione praecisa, verum sit! et videant *Eruditi Romani Juris Interpretes*, an recte *Sectas Stoicam, et Epicuream* in *Romanam Jurisprudentiam* invitas compellant, quae in *suis Institutionibus* Jus naturale gentium definit, *Jus a divina Providentia constitutum!* Adeone iste

ignotus Erro Divinae Providentiae impium bellum indicit, cui aequae non sint philosophi et *Cicero*, qui eam esse Numen rerum humanarum conscium, ex communi omnium gentium, et populorum consensu vult credi; et *Plato*, qui eam esse Ordinem rerum naturalium intelligentem, ac liberum, naturalibus rationibus dissertavit!

De humano Ingenio, acute arguteque dictis, et de risu e re nata Digressio.

(q) Sed philosophia, geometria, philologia, atque adeo omnia doctrinarum genera, istam opinionem, *ingenium cum veritate pugnare*, absurdissimam esse, manifesto convincunt. Et principio philosophia: namque non solum vulgo dicitur, sed philosophis quoque probatur, ingenium esse divinum omnium inventionum parentem. Atque utinam philosophiae opera daretur cum *Verulamii Organo*, ut quod philosophi meditarentur id ii verum esse experimentis ipsis demonstrarent; uti cum *Organo* suo idem *Verulamius* librum cui titulus, *Cogitata, Visa* lucubravit. Cogitandi sane ars, sive scientia Anglorum cognata vel ab antiquis usque temporibus, quibus sapiens *Agricola* apud *Tacitum* in ejus *Vita*, ut eos ad Humanitatis excolendas artes impelleret, *Britannorum ingenia studiis Gallorum anteferebat;* unde apud Anglos etiam nunc praeter ce-

teras philosophia experimentalis celebratur. Nam si ita phisicae incumberetur, non solum non pluris fierent a *Socrate* sutores, quam sophistae, cum illi tamen aliquod faciant opus, humano generi utile, hi vero nullum omnino; sed in eo sane Deo Opt. Max. quodammodo similes fierent, cujus intelligentia, et opus unum idemque sunt. Geometriam autem, et-i ego a limine salutavi, introspexi tamen synthetica Antiquorum methodo innumeras *Euclidis* propositiones, quae sunt magnitudinum, elementa, percurrere, easque legere quae distractae, ac dissipatae nullum inter se *pos r*, vernaculâ linguâ, *rapporto* habere prius videbantur; atque ex iis elementis, non in problematis solum, quae circino, et regulâ, saltem mentefactis construit, sed vel in theorematis ipsis, quae vera comtemplatur, eam facere vera: quod sane praestare nequit, nisi qui praestanti ingenio praeditus sit: unde geometra in illo suo figurarum Mundo est quidam Deus, uti Deus Opt. Max in hoc Mundo animorum, et corporum est quidam geometra. Et sane qui geometriam in mechanicae usus delapsam ad opera sive urbana, sive militaria efficienda profitentur, apud nos *Italos* momentoso, et scientiae referto vocabulo vocantur, *Ingegnieri.* Nec quae de synthetica dicimus, analytica methodus quicquam obturbat; quae ex quadam divina ingenii occulta vi nata est, qua ipsi algebristae divinari sibi videntur, quum suis rationibus recte sub-

ductis vera demostrant; et quae saepe synthetici laboriosissime praestarent, ea ipsa analytici expediti, ac faciles, atque adeo solertes efficiunt: quae nisi quaedam ingenii vis, humana major sit, alia sane esse non potest. In physica vero, cujus medicina est appendix, jam docuimus; in politica, ad quam senatoria, imperatoria, oratoria, et jurisprudentia revocantur, mox, in specie de Oratoria, planum faciemus, eos unos solertiâ praecellere, qui ingenio plurimum possunt. In una Theologia, quam ab Dei Opt. Max· qui Primum Verum est, divino Ingenio docemur, nos nostrum hominum infirmum ingenium disperdere, illiusque vera humanum captum exsuperantia, magis, quam quae sunt geometricis apodixibus demonstrata, credere vera fas est; cum ex quadam minima illius divina ingenii particula, humanum captum quoque etiam, ut diximus, excedente, alcebra sua indubia vera demonstret. Postremo philologia in rhetoricis docet, ingenii acumen sine veritate stare non posse; quod res, que distractae, dissitaeque quam longissime vulgo videbantur, in aliquam latentis veri communem rationem stringit, et acuit; in qua complurium longarum ratiocinationum compendio facto, res illae concinno inter se nexu aptae, colligataeque esse deteguntur. Unde Aristoteles rationem affert, cur tantopere acuta dicta delectent; quia mens suapte natura veri famelica, acuto dicto audito, in brevi sum-

ma, temporis momento complura discit. Contra arguta dicta finguntur ab infirma, brevique phantasia, quae aut nuda nomina rerum confert, aut solas rerum superficies, neque totas componit, aut aliqua sive absurda, sive inepta menti nec-opinanti obiicit, quae expectans conveniens, et aptum, sua expectatione deluditur, et frustratur: unde cerebri fibrillae ad aptum, et conveniens objectum intentae, et ab alio non expectato turbatae tumultuantur atque ita turbantes trepidum motum suum per ipsorum truncum in omnes nervorum ramos dispergunt; qui motus totum corpus concutit, hominemque de suo recto statu deturbat: ex quo fit, ut bruta animantia expertia risus sint; quia singularem sensum habent, quo ad singula objecta singillatim attendunt; quorum quodque ab alio sese belluæ objiciente discutitur, et deletur: ex qua una re perspicue palam facias, ipso risus sensu belluis a natura negato, eas omnis esse expertes rationis. Atque heic certe, nec sane alibi, occultus ille risoribus sensus subest, qui eos ipsos latet, quum seria risu excipiunt; quod, cum risus sit proprius hominis, cum id faciunt, tunc vero ii, se sibi hominem sapere videantur. Sed risus est ex illa nostra hominum natura infirma, qua

Decipimur specie recti.

Namque ex hac risus a nobis sic explicata natura inter severos gravesque viros, et belluas ridiculi homines sunt quasi medii. *Ridiculorum* autem appellatione heic accipio, et qui temere, ac immodeste rident, qui proprie *risores* appellandi sunt, et qui ad risum alios commovent, qui proprie appellantur *derisores*: etenim severi non rident, quia ad unum graviter attendunt, nec ab alio inde deturbantur; belluae neque etiam rident, quia attendunt ad unum quoque, sed ab alio tactae, ad illud totae protinus convertuntur; risores vero, quia leviter attendunt ad unum, inde facile deturbantur ab alio; derisores autem longissime a viris gravibus abscedunt, et quam proxime accedunt ad belluas, qui ipsam veri speciem depravant, nec solum depravant, sed pervertunt; et vi quadam sibi, suaeque menti, et vero facta, de qua loquitur parasitus *Gnato*, ubi apud *Comicum* inquit;

..... postremo imperavi egomet mihi,
Omnia assentari,

quod unum in se est, contorquent ad aliud: quod verum *Poëtae* suis fabulis abdidere; qui, cum tales homines inter viros, et belluas sint quasi medii, satyros risores confixerunt. Hinc derisoribus ex sua ipsorum hac perversa natura semper veri egenis Divini veritatis thesauri sem-

per occlusi sunt; et quum vera, et severa deridendo sibi plaudunt, tunc illud *Divinae Sapientiae* verbum vere in eos accidit: *si sapiens fueris: tibi ipse fueris; si derisor, tu solus damnum portabis.* Ex hac idem risus explicata natura fit, quod ridiculae comoediarum personae validius oblectant, quum serio ineptiunt; uti saepe frigent, quae ridendo student ad risum commovere spectatores. Et sane facetia nusquam lepidior est, quam ubi Mimi viros Severos, et graves vultu, incessu, et actione imitantur, eaque ratione eos in proscenio deridendos traducunt. Quae omnia huc redeunt denique, quod risus ex dolo venit, qui humano ingenio veri avido tenditur; eoque effusior venit, unde veri major est simulatio. Hinc eleganter, et vere *Cicero* dixit, *risus sedem esse subturpe*; non *improbiter turpe*, ut enormiter falsum, quale est quiddam contrarium et multo magis aliquod sui negans, quod *scholae* dicunt contradictorium, quod gravi dolore mentem afficit, quae proinde ad improba mendacia irascitur, et indignatur; sed *paullo turpe*, ut quemadmodum acute dictum de eo est quod in speciem videbatur aliud mox idem re ipsa comperitur, nempe aliquod verum, quod sub falsi latebat imagine; ita dictum argute de eo sit, quod videbatur idem; deinde re ipsa aliud esse detegitur, nimirum aliquod falsum, quod quandam veri speciem praeseferebat; ex qua specie nec-opinanter

objecta, uti ex quibusdam ridiculis comoediarum personis repente visis, risus oboritur: quem *Divina Sapientia* docet,, *esse in ore stultorum*; quia cerebrorum fibrillae in *amentibus*; qui *Latinis* satis sapienter *mente non constare* dicuntur, semper titubant, vacillant, lapsant; quod per conspicuos corporum motus natura ipsa sensu quodam verum esse nos docet; quum aliorum lapsu casuve conspecto, vulgo homines vix contineri possunt, quin rideant. Hinc quia haec mentis imbecillitas stultitiae fundus est, philosophia in eo tota occupatur, atque ad id præcipuum collimat, ut firmet constantiam sapientis. Indidem intelligere datur, quam diverso voluptatis genere spectatores afficiant fabulae recte moratae, et quae *Latinis* erant sive *oscae*: sive *atellanae*, quae nunc nobis *commedie burlesche* vocantur: illae namque voluptatem afferunt sapiente homine dignam; cujus mens semper ad uniforme, conveniens; et aptum intendit; quae delectatio eadem numero est, atque illa qua spectator ludi, sit ex genere pilae, perfunditur, quum videt, quo lusor jactum intenderat, et quo oportuerat, eo pilae aleam cecidisse: quare fabulas recte moratas difficile inveniunt, nisi qui in philosophiae moralis studio sint plane consummatissimi: fabulae autem ridiculae genere voluptatis oblectant impotenti, et effreni, quae homines sanae mentis insanos faciunt, quibus risu omnem rectam resol-

vunt rationem. Quae est ratio, cur *Demosthenes*, orator procul dubio omnium acutissimus, qui ea incomparabili dicendi ratione perpetuo utebatur, ut auditores ab proposita caussa in res alias, quam maxime longinquas averteret, et abduceret, ita, ut illi, quo Demosthenes errabundus evaderet, mirarentur; is interea in iis rebus longissime provisis rationem aliquam inveniret, quae ad caussam, quam ageret, diceretve, esset quodammodo affecta, eamque proposito suo feliciter componeret, et aptaret; eaque acutissima dicendi ratione intorquebat curta suo illo dictionis gegere rotato enthymemata; quae fulminum instar, eo vehementiora cadebant, quo magis ea fuerant improvisa: unde *orator enthymematicus* dictus est, et *fulmini* a *Longino* comparatur: quam is dicendi rationem complures annos ejus auditor, a *Platone* didicerat, qui *dialectica socratica* usus, eum, quicum de alia re disserebat, de re, quae illi videretur alia, interrogabat; et ex eo, quod ille sibi, tanquam aliud, dederat, conficiebat, id ab illo sibi datum, illud ipsum esse, de quo cum illo dissertatio erat instituta: quam interrogandi artem (id enim *Dialectica* Graecis sonat) Philosophorum sapientissimus *Socrates* excogitavit apposite ad excolendam Graecorum naturam, qui omnes Orbis terrarum nationes ingenio superarunt: is, inquam, *Demosthenes*, qui acumine tantum valuit, risum nunquam excitare suis ora-

tionibus potuit, et si quando voluit, in eo, ut Cicero tradit, tam ineptus fuit, ut ipse potius esset ridiculus. Ex his omnibus iste *ignotus Erro* colligat, quantum sit ingenium, contrarium veritati, ut nihil aeque, atque ingenium, veritatem studiosissime consectetur: quod, quia heic res nata est, pluribus notavi; ut isti *Erroni* adprobarem, quam vere is cum vulgo putet, doctrinam de eloquentia a philosophia esse rem prorsus aliam.

(*r*) O veritatis graphycum amatorem, qui formam mei libri 8., me in eo meum Eruditos celare nomen, meque esse Abbatem palam ac manifesto mentitur! Quod cum magis magisque cogito, mecumque animo reputo, demiror sane, ut prava consuetudo rectam hominum naturam non solum depravat, sed pervertit: namque istum *ignotum Erronem* in falsis, fictisque cogitationibus innatum, innutritum, adultum, confirmatumque esse necesse est; qui, uti per ea, quae superius de me finxerat, dixit, meum systema esse *figmentum*; ita heic per ea, quae de meo libro mentitur, *me non indulgere veritati* opinatur. Itaque iste infelix, quam gravi, tam misero exemplo, se unum ex iis hominibus esse probat, qui ut divine divinus *Plato* dicebat, in antro ab ejus ore aversi totam vitam traducerent, cum semper umbras, quas in imum antrum projicerent, contemplati essent, si forte postea, sic

provecta aetate, ad os antri converterentur, extra antrum posita corpora umbras esse perperam, perverseque judicarent.

(*s*) Scilicet in Scientia de communi omnium hominum natura, per omnes populos, gentesque longe lateque diffusa, et per omnes aetates circumagente, constantiam desiderat iste severus systematum censor, et gravis; qui in ista brevi fabula, quam de me fingit, omni ex parte sibi non constat! Principio enim illa quam inter se minime convenientia? Neapolitanum auctorem novi systematis ad ingenium Romano-Catholicae Religionis accommodati suum inter Romano-Catholicos celare nomen! et systema Romano-Catholicum universae Italorum Catholico-Romanae nationi esse taedio! An auctor suum iccirco celavit nomen, ne eo Italorum taedio opprimeretur? At enim novarum auctores doctrinarum viae ad opprimendum patent omino duae, nimirum quando ii suae Reipublicae aut Religionem, aut Regimen novis doctrinis suis labefactant. Deinde illa quam vix credibilia? perexiguum duodecim, non amplius, foliorum *libellum* universam Italorum nationem ad taedium commovisse! et auctorem, qui gentiles suos universos commovit, tam bene latere, ut ipsius et praenomen, et status, et ordo ignoretur! Postremo quam illa sibi contraria? Nam cur universam Italorum nationem taedio is liber affecit? An quia *multo labore contra* Grotii, et Pufendorfii *do-*

*

ctrinas, *et principia disputat*? Sed nationum naturam id proprium certe consequitur, ut qui cum fortissimis externarum nationum viris *multo labore*, sive acriter pugnat, is prae gloriae aemulatione genti suae plurimum afferat voluptatis, ejusque universa in se studia mirum in modum conciliet. An quia id argumentum ab Transalpinis iam satis, superque sit celebratum: unde illa uberrima scriptorum seges; *Grotii*, *Seldeni*, *Pufendorfii*, ejus docrinae Principes; *Vandermuelenii*, *Barbeiracii*, *Boecleri*, *Zuicleri*, *Grotii alii*, *Gronovii*, *Vitriarii*, omnes *Hugonis* adornatores; *Buddaei*, *Zentgravii*, *Uberi*, *Thomasii*, et praeter hos celebriores, *alii* minoris notae *quamplurimi*? Sit ita sane. Sed si hic *Vicus* nomine horum Transalpinorum de Jure naturali gentium edissertatis novam methodum solam concinnasset, tamen res non erat, ut tantum taedium in Italia universa commoveret; hac praesertim aetate, in qua, cum facilitati unice mos geratur, soli novarum methodorum tituli libros suavissimos faciunt. Sed is vobis id *Vici* plane *novum* de integro *systema* esse nunciavit. Atqui crebra, usitata, senescentia satietatem, fastidium ac taedium gignunt; omnia autem nova placere, in vulgatissimo proverbio est. Verum *ignotus Erro* ait, *potius*, quam systema, id merum esse *figmentum*. Esto, quando nihil aeque, ac figmenta delectant, ubi sunt apta, decora, sibique ex omni

sui parte convenientia. Heic iste *ignotus Erro* jam me sibi teneri putat; quia in eo figmento ego *conjecturarum mole mihi ipse deficiam.* Qui isthaec dicit, qui in brevi fabella, quam de me, meoque libro fingit, quantum vidimus, tantum omni ex parte sibi non constat? Ubi nequeo satis mirari, quantas iste *ignotus Erro* sui delicias faciat, ac proinde, quam sit iniquus! Is enim suam istam fabulam credi vult, et, quia credi vult, credi putat in eo, cujus ipse contrarium verum agit, eodem tempore, quo eam de me, meoque libro fabulam comminisci non potest, nisi per id, cujus ipse contrarium verum agit, et quod verum agit, id vero est ipsi rerum naturae conveniens! Nam cur is a vobis celari sedulo curat, iis verbis, *Italus quidam*, nisi quia, *systema ad ingenium Pontificiae Ecclesiae accommodatum* improbat *quidam Italus?* Itane delicatulus agit? per quod ipse absconditur, per ejus contrarium credi vult, me celari? Cur generico *Itali* nomine per totam Italiam *ignotus errat*, iisdem verbis, *Italus quidam*? nonne metu, ne cujas sit, in Italia deprehendatur; quia enim is ab animo sibi male conscio mordetur, se toti Italorum nationi esse odio; quia systema *ad ingenium Pontificiae Ecclesiae accommodatum* vobis narrabat, *id taedio esse universae Italorum nationi*? Itane mecum aequo jure agit? per quod is sentit, se Italis esse odio, credi vult, me Italis esse taedio? En qui

in pene infinito, et maxime serioso systemate constantiam desiderat, qui in brevissima fabula est tam sui dissidens! tam a se diversus! tamque sibi ipse contrarius!

(*t*) Sed tot caussis *Italici* ejus *taedii* in superiore *Nota*, aliud agente enumeratis, iisque cunctis rejectis, et ejus caussam tamen subesse per ipsum saltem necesse est, iste *ignotus Erro* dicat tandem, quae est? Dicit; verum invitus dicit; namq; ego ab ipso exculpo caussam, quam dicit: *quia is liber non intelligitur*. Cur igitur eam caussam reticuit? cur scripto mandare ipsum puduit, in quo tot vana de me fingere, tot falsa de libro mentiri non dubitavit? qui tantus iste eum pudor incessit, qui scripto mandare, quod *is liber non intelligitur*, magis pudendum sensit, quam quae sunt mendacia; quae dixit de me, meoque libro audacissima? Ego pro ipso dicam: quia cum in eo libro *de Humanitatis Principiis* disseratur, nihilque afferatur usquam, quod non ex communi hominum sensu depromptum sit; is, si quam sentiebat, taedii sui caussam proferret, ipse communem sensum se non habere, scripto profiteretur. Sed heic ego istius *ignoti Erronis* pectus rimabor, ejusque mentem, animumque vobis, atque adeo omnibus ostendam. Is mente, quot diximus, falsis offusa, animo fastus tumente, cum ejus libri temere, et qua se daretur, aperti unam et

item alteram paginam legeret, nec quicquam intelligeret, nam qui talis, et cum tali habitu posset! uti delicati solent, qui quavis minima re incommoda graviter offenduntur, statim librum aspernatus, eum fastidivit; et, uti faciunt superbi, qui suas in alios transferunt culpas, suam indocilitatem mihi obscuritatis vitio vertit; et, uti hominibus vulgo mos est, qui ex suo spectant omnes animos aliorum, suum ipsius taedium universae nationi Italorum affinxit. Sed quid nos in tam perspicua re argumentationes quaerimus, aut capimus conjecturas? quando iu Italia tanto doctissimorum, optimorumque virorum plausu is liber exceptus est, ut perquam exiguus libellus, qui argumentum pium, severum, et grave complectitur, intra annum, aut paullo plus eo, rarissimus factus, duobus aureis numis usque a bibliopolis in ipsa auctoris patria venditus sit; et nunc Venetiis praeclarissimi nobilitate, et doctrina viri *Com. Joh. Articus de Porcia*, quem supra honoris caussa nominavi, ***Rev. Pat. Carolus Lodoli***, pro Sereniss. Venetorum Republica librorum Censor, et ***Excellentiss. Ab. Antonius Conti*** ex Ordine Senatorum amplissimo, Anglis, Batavis, vobis, Germani, ipsis, Gallisque per hospitia literarum gratia cum primis hujus saeculi Literatis viris inita inclytus, ii me sint diligentissime per literas cohortati, ut ibi luculentis literariis for-

mis, et *Claudiana*, sive regia charta eum librum cum meis adnotationibus, commentariisve recudendum mandarem, uti re ipsa eorum cohortationibus auscultans mandavi: cujus unius libri caussa, opinor, aliquot seu bibliopolae, seu typographi Veneti, per *Bernardinum Gessarium*, bibliopolam, et *Felicem Mosca*, typographum, Neapolitanum utrumq; a me petiere, ut libros omnes, quos in *Catalogo* subnexo *meae Vitae* indicatos superius dixi, ad ipsos mitterem, quos in unum corpus compositos literariis typis recuderent: quod utrique, gratia iis Venetis pro officio habita, denegavi; qui unum hunc, de quo vobiscum nunc ago, librum, de omnibus, quos scripsi, superesse, si per rerum naturam fieri posset, exoptarem.

NOTARUM CONCLUSIO.

Igitur, ut hanc rem totam complectar, et vos ad exitum tandem perducam, vehementer suspicor, et ob haec, quae omnia concurrunt simul, firmissimam conjecturam hanc facio; ex qua iste *ignotus Erro* in re sua experiatur, an ego *mea conjecturarum mole mihi ipse deficiam.* Iste *relator*, Novae Scientiae proprium subjectum silentio praeteriit; libri formam 8, meque meum in eo libro Eruditos celare nomen mentitus est; meum statum finxit; meum ordinem, et,

ubi me vobis privatim nominat, meum praenomen tacuit; primarium ejus Scientiae subjectum de Jure naturali gentium esse simulavit; me contra *Seldenum*, alium a *Grotio*, et *Pufendorfio* ejus doctrinae Principem disputare transmisit; idque systema figmentum esse perperam dixit; neque ex veritate Romano-Catholicae Ecclesiae profectum, sed ad ingenium Pontificiae Ecclesiae accommodatum esse, inique censuit; et, quod in eo magis ingenio, quam veritati indulgeam, absurde judicavit; tandem in eò uno iste sui semper similis, perpetuo nempe mendacio, uti incoeperat, et perrexerat, ita falso clausit *relationem*; quod is liber ab universa Italorum natione cum taedio exceptus est: quae, sub una mihi praeclara exceptione, sunt numero illa *omnia falsa*, quae initio vobis proposui, in *vestra Eruditorum Acta* de me, meoque libro *relata* esse: iste, inquam, *relator* vobis haec omnia retulit, quia unâ excogitatae malitiae operâ voluit effecta reddere haec quinque: primum, ut meam dignitatem laederet; secundum, ut vos ejus libri inquirendi negligentes faceret; tertium, ut, si eum diligentius perquirere velletis difficilem vobis ejus copiam efficeret; quartum, ut, si maxime eum alicubi nacti fuissetis, alium putaretis librum, auctorem alium; quinctum et postremum ut is interea in atra nocte tot, tantarumque fraudum lateret, et vos eum fidum amicum putare

pergeretis : ex quibus effectis quinque, is uno meum apud vos nomen obscuraret; tribus, apud omnes, ad quos is liber per Europam penetravit, nomen vestrum minueret; uno reliquo, in quo uno ei spes impunitatis affulserat, sui nominis obscuritati caveret. Sed ut initio tria persequar, quae ad vos attinent; nam primum ad me spectare videtur; postremum ad ipsum re vera pertinet: quaerentibus vobis librum 8, cui titulus; *Principj d' una scienza nuova del dritto naturale delle genti*, auctoris anonymi, bibliopola certe responderet, se eum librum anonymi, auctoris, cujus is titulus, et forma sit, ignorare planissime. Deinde edentibus vobis illa argumenta, seu signa; *quamquam ejus libri auctor nomen suum Eruditos celet, certiores tamen facti sumus a quodam nostro amico Italo, ipsum esse Abbatem Neapolitanum cui nomen* Vici *sit*; bibliobola, maxime, si eum librum perquireretis Neapoli, ubi me neque caelibem esse, neque orbum omnes norunt, procul dubio diceret, se hunc hominem Neapolitanum ejus libri auctorem non nosse; scire tamén Neapolitanum ejus nominis esse *Jo. Baptistam Vicum*, qui maritus, et pater est, et auctor libri, non 8, sed 12, cujus titulus est, *Principj d' Una Scienza nuova dintorni alla natura delle Nazioni*. Postremo vobis omnes libros luculentioris argumenti, vel celebrioris auctoris pro munere vestro conquirentibus, rogan

tibusque, ut idem bibliopola, et nisi is, qui forte fortuna alius eum in bibliotheca apud se habens ejus vobis copiam faceret; isque pro raritate tam brevi tempore, quantum diximus, facta, eum vobis perquam caro vendidisset: vos, cum legeretis ejus scientiae proprium subjectum esse de Communi Nationum Natura, ex qua apud omnes populos aeque manat notitia de divinarum rerum, humanarumque Originibus, unde postremo profluit novum de Jure naturali gentium systema; quod non contra *Grotium*, et *Pufendorfium* solos sed etiam contra *Seldenum*, alium ejus doctrinae Principem stabilitur; idque Pontificiae Ecclesiae cum Genere Humano universo comune esse; cum quemadmodum mihi persuadeo, id observaretis constabilitum genere disserendi cum veritate, et constantia; cumque postremo eum librum pro parva ipsius mole, et editione nimis recenti, perquam caro emissetis; et quanto precii caritas est optimarum, exoptatarumque mercium potissimum argumentum, intellexissetis, eum librum Italis esse percarum: ob haec omnia vos certe quidem hercule eum librum putaretis omnino alium ab eo, quem iste *ignotus Erro* vobis narravit; cumque ibi a meo praenomine admoniti, agnossetis, me esse ipsissimum illum *Jo. Baptistam Vicum*, de quo *D. Clericus* de aliis meis libris quos supra memoravi, super eo ipso argumento, quanquam exasciato, honorificentissime verba fa-

cit: et eum exponeretis verius; et de eo censeretis aequius; et de me loqueremini forsan magis cum dignitate. Jam istud a vobis, *Eruditi Viri Lipsienses*, factum, mihi vobiscum his *Notis* transactum est: nunc autem superest seorsim caussa, de qua cum isto *ignoto Errone*, qui id vobis extra ordinem retulit, et super eo sententiae loco dixit, quaedam familiatiter loquar.

Ad Ignotum Erronem Admonitio.

Dic mihi, bone vir, si in imo tuae civitatis ordine, et loco positus, quidam e spurca plebe homo esses, atque istiusmodi flagitia in vili pecunia faceres, ut eam domino auferres; numnam scis, te stellionatus crimine damnatum ignominiosa poena plecti oportere? Agesis, si ea poena te maneret, ubi isthaec in vili pecunia deliquisses, quo longe graviore te supplicio dignum esse fatearis, necesse est, qui isthaec ipsa, quantum abs te in te, et per te fuit, admisisti in dignitate, atque existimatione honesti viri Neapolitani, de te nihil male meriti, ut qui totam sic vitam peregit, ut coluerit omnes, juverit multos, laeserit neminem; et quanquam ab adversa Fortuna conflictatus, et, quia conflictatus, ut suam adversam Fortunam solaretur, ab Sapientiae studiis mutuatus solamina, tamen pro sua infirma virili parte, nedum Neapolitani, sed

universi Italici nominis amplitudini, et Ecclesiae Romano-Catholicae gloriae *multo labore*, et summa industria studuit; et inter Italos hanc de Jure naturali gentium praeclarissimam provinciam, in qua Literati viri Transalpini et soli, et maxime summi, et toti fervent, primus omnium adornare, idque Religioni Romano-Catholicae consonum, non Italorum modo, sed omnium prorsus primus statuminare conatus est? Nonne satis graviter deliquisses, si esses Romano-Catholicus? si Italus, longe gravius? si Neapolitanus, gravissime? Sed ista in me tua, *ignotus Erro*, seu dicta, seu facta omitto; quae mox senties, in me nec facta nec dicta esse. Quid autem illa, quibus tot, ac tales Literatos Lipsiensis Collegii Viros, qui universam Literariam Rempublicam *suis Eruditorum Actis* tantopere collatis operis juvare connituntur; qui te sibi sanctissimo amicitiae vinculo conjunctum praedicant, *amicus noster Italus;* qui suam dignitatem, atque existimationem tuae diligentiae, atque integritati committunt; qui tuam fidem tanta fiducia sequuntur, ut tanquam in tua verba jurati, quae tu illis falsissima narras, ii in se ipsi vera recipiant, et suo ipsorum nomine ea pro veris toti Europae eruditae edicere, et provulgare non dubitent; tu sic eos circumvenis? decipis? prodis? ut de eodem libro, eodemque auctore, tanquam de rebus, et personis omnino

aliis, prorsus contraria scriberent, quod sane quoddam monstri simile est; neque te peccati sui esse auctorem, rescire possent, illa sua germana fide rati, te ipsis de alio libro, de alio auctore retulisse? Nisi si id est, quod tu factitas, per Deum immortalem, quid est, amicitiam de humanis rebus tollere? fidem e civili hominum vita ejicere? atque adeo funditus evertere humanam societatem? Fortasse, inquies, hanc ejus libri inquirendi negligentiam, hanc ejus potiundi difficultatem, hunc de alio libro, alioque auctore errorem, in quae tu, *Vice*, dicis, me Lipsienses Literatos inducere voluisse eas caussas tres ipsis cum omnibus Europae Literatis viris esse communes; ac proinde iis ipsorum esse salvam dignitatem. At enim isthinc, nec aliunde, perspicue significas, quam ab injusta rabie mentem offusam habeas, qui non vides, ut quod contra me egisse putas, id re ipsa sit plane nihil: namque ista, quam dicis pro te, caussa, mihi, et Lipsiensibus Literatis individua est; cumque liber, meus genuinus partus, jam per totam Italiam vulgatus sit, et alpes quoque etiam superarit, et mare trajecerit, apud quosnam Literatos Europae viros tu dignitatem laesisti meam? An gloriam nominis in eo stare putas, ut ii, ad quos alicujus viri fama sit pervagata, illi ejus faciem, vultum,colorem, staturam, habitumque conspiciant? O inclyti gloriâ Viri, aut jamdiu defuncti, aut ni-

mium longinqui, qui nominis claritudinem vobis virtute, doctrinâ, sapientiâque comparastis, nulli per istum vos estis; quia posteris, exteris corpora vestra haud-quaquam conspecta sunt! Si igitur apud eos omnes qui istum alium librum, istum auctorem alium esse falso opinantur, tu meam dignitatem non laeseras; certe apud eos laedere voluisti, qui istum librum, auctorem istum in rerum natura non esse certo sciunt. Quinam ii sunt, nisi uni docti viri Neapolitani? Igitur tuum privatum, *Erro*, in me odium in universos doctos viros Neapolitanos evomis, et diffundis; quos tu gentibus cunctis diblateras, libri veram Religionem, quam profitentur, Regiamque Politiam, quâ reguntur, adprobantis taedere, et popularem Lipsiensium affectare libertatem? Porro incredibilem animi tui perversitatem considera; qui id egisti, ut non solum eo, quod concupisti, frustratus abires, sed id ipsum multo acrius te ureret invidiâ, qua macescis. Namque, ut hominem, qui nusquam est, ab Literatis Lipsiensibus inhoneste acceptum esse divulgares, cum vano isto ejus libri, qui etiam quoque nusquam est, Italico taedio, hunc mihi gloriae locum fecisti luculentissimum; quod mea privata haec caussa ita agglutinaretur et patriae pietati, et Italiae decori, et Religionis Romano-Catholicae sanctitati; ut mea, et illarum una esset eademque defensio! Sed haec omnia sint, quae dico, tam falsa, quam sunt plane verissima, non

cogitasti, quod cuivis in mentem veniret, siquâ hinc Neapoli ad Lipsienses Literatos Viros manasset, istum librum, auctorem istum Neapolitanum nec extare, nec unquam extitisse; quid animi illis futurum esset? quam impense ipsos suae in te locatae fiduciae poeniteret? quam graviter suam satis bonam fidem incusarent? quam animitus suam amicitiam a te proditam esse quaererentur? Forsan ad haec illud semper *turpe* dictu respondeas, quod qui se ignorantia defendunt, solent *dicere*, *non putabam* eos laedere, qui laedere te unum volebam. Et id non sat tibi fuit, ut haec cogitares? primum, quod, ut me adgredereris, universi ejus Literatorum hominum Collegii auctoritate, senseras, te armari oportere? deinde, quod ejus Collegii universi, non tua *ignoti Erronis*, de eo libro justa relatio erat? nam justam censuram integra ab omni ambitione obibit temporis futuri longinquitas: postremo, quod est gravissimum, quod, ut me, quem sive Italici nominis invidia, sive Religionis Romano-Catholicae odium hostem tuum tibi confinxerat, ne levi quidem ictu perstringeres, per tot tuos amicos gladium infestum in me intenderes; et in tot, quot transverberasti, Literatis viris totum ferrum exhaurires? Vide in quo abrupto, ac praecipiti loco stes, ut tuorum gravissimorum criminum a criminibus longe gravioribus defensionem implores! Nam isthaec, non crudelitas, sed vecors immani-

tas esset appellanda, si vel justus miles, nihil pensi habens civium pietatem, ex qua qui civem in praelio ab hoste servasset, civicâ coronâ donabatur, is, aestuante conflictu, per commilitonis corpus hostem confoderet. Quid tu, qui ociose meditatus, ut idem ipsum faceres, officium, fidem, amicitiam nihil pensi habuisti? An id esse in corporibus nefas; in mentibus vero, animisque, per quae homines sumus, putas ludum, jocumque? Sed vide, uti tua invidi rabies te caeco furore agitat ac divexat; qui, ut me, tuo infensissimo odio destinatum caedas, scutum, quod te protegit, pertundis, ac perforas, et me tute ipse statuis extra ictum, qui de alio libro, de alio auctore retulisti; qui cum in rerum natura non sint, tu certe furis, qui umbras diverberas, et vere tibi hostem finxisti, quem ferires. Cum igitur talis sis, nempe in densis nominis tui tenebris vanus, et publicam hominum lucem aspicere non sustineas; amicis inimicis aeque noxius; a tua patria, persequente nemine, aufugias; locum, ubi sive citra, sive trans alpes consistas, non habeas; cumque doctrina, et eruditio, uti bonae indolis homines, meliores, ita malae, quam deterrimos faciant: ob haec omnia sedulo te hortor, et moneo, ut *Eruditi* nomen abs te abigas, et, quantum fieri potest, amoveas; nam satius est, rudem esse cum innocentia, quam cum tanta noxia *ignotum Ge-*

neris Humani extorrem, quamvis doctissimum, *pererrare*.

Jam tandem vobis, *Lipsienses Literati Viri*, ejus libri legendi, quam iste *relatione* sua fecerat negligentiam, ego his *Notis* feci necessitatem; ex quibus, ne per hunc *Erronem* vos quoque erretis diutius, quando nullum ejus apud me exemplum extat; donec Venetiis recusus ad vos portetur, interea me in eo libro hoc disserendi genere uti resciscatis; atque inde conjectetis, quod *his Notis* egomet mei adsertor, me verum ejus veri libri auctorem esse ajo; et illum *Vicum* nomine, quem *Erro* iste a me alienavit, *me esse vindico*· unde in Libri vestibulo, VICI VINDICIAE, inscriptae sunt.

AB AEQUANIMO LECTORE PETITIO.

Tu vero aequanime Lector, scias, me in hypocausto cum lethali, praecipitique morbo, tum periculoso, et senibus apoplexiam minitante remedio languentem hoc opusculum lucubrasse. Deinde, quod viginti ferme ab hinc annis libros omnes valere jussi, ut in doctrinam de Jure naturali gentium aliquid pro mea tenui parte conferrem: pro qua sategi, si in penitissima, multijuga, et varia universi Sensus Humani bibliotehca me totum abderem, ubi vetustissimos Gentium Auctores, a

quibus vix post mille annos Scriptores provenerunt evolverem; quod idem sibi faciendum *Thomas Obbesius* duxit, qui inter Literatos amicos, et aequales suos, se non aliâ, nisi hac via, ejus doctrinae Principem extitisse, et Philosophiam hoc ingenti auctario cumulasse gloriabatur: sed satis falso tamen; quia *divinam Providentiam*, quae una ipsi tenebricosas rerum humanarum Origines perlustranti facem praelucere poterat, meditatus non est; et ita in obscurissima deploratae Antiquitatis nocte cum caeco *Epicuri casu* pererrat: *contra cujus doctrinas, et principia* in primis *disputo*; quod a me factum *D. Clericus* in *sua Bibliotheca* praecipue laudat; ego in *Nota ad literam (k)*, cujus hoc, quod heic dico, caput erat, oblitus sum dicere; *Erro* autem iste sedulo omisit; ne *principia* indicaret, *ex quibus*, qui sunt per ipsum *Philosophi*, *sua de Jure naturali gentium systemata hactenus deducere consueverunt;* in quibus est *Pufendorfius*, quem *Epicureismi* suspicione aspersum purgari oportuit *Grotius* autem, quia *Socinianismus*, quo adtinctus fuit, prave docet, *Providentiam* ita omnibus Religionibus aeque promptam, ut *Veritati Christianae Religionis*, de qua ipsa antea *librum* scripserat, nihil condat praecipuum; icciro in *libris de Jure Belli*, *et Pacis* ne cogitavit quidem *Providentiam* meditari convenienter ad Ve-

ritatem Christianae Religionis; quod nos, nisi nostra plus aequo amamus, in *Systemate nostro* praestitimus. His de causis, et sub hoc gravi exemplo, siquem heic alium memoriae lapsum offenderis, condonato, si quod autem non ad libellam exactum, neve ad unquem expollitum, aequi bonique consulito.

FINIS.

INDEX.

Neque correctum invenies quidquid vel levioris momenti a typographo erratum, sed ea modo, quae aliquid ambiguitatis afferre poterant, haec tu, aequanime lector,

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 9 Tranquillitas	Tranquillitatem
Pag. 13 nostra Civitati	nostrae Civitati
Pag. 18 immunera	innumera
Pag. 21 medentim	medentium
Pag. 24 qonderis	ponderis
idem -- aequae	aeque
Pag. 42 tu	ut
Pag. 70 divincti	devincti
Pag. 86 recte	haud recte
Pag. 95 inflructae	instructae
Pag. 109 affirmari	affirmare
Pag. 110 dorro	porro
Pag. 147 consentur	censentur
Pag. 191 Guamnam	Quamnam
Ascansi	Ascanii
Pontificcs	Pontificis